EUSTACHII RUDII ... LIBER DE ANIMA. IN QUO PROBATUR GALENUM DE VEGETALIS, &...

Eustachio Rudio, Lorenzo : de Rossi, Michelangelo Albrizi




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
11 K
23

EVSTACHII RVDII VTINENSIS,

IN PATAVINA SCHOLA Medicinæ Praxim ordinario, atq; primario loco Profitentis,

LIBER DE ANIMA.

In quo probatur Galenum de vegetalis, & sentientis animæ substantia reliquis omnibus rectius sensisse, veriora, tum vitæ, tum mortis principia, & causæ traduntur, nec non rationalis animæ immortalitas efficacissimis rationibus probatur.

Perillustri, & Excellentissimo viro
OCTAVIO AMALTHEO
COMPATRI SVO DICATVS.

Ex Legato  D. Ianuarij de Rubeis

PATAVII,
Apud Petrum Bertellum. M. DC. XI.
Superiorum Permissu.

INDEX CAPITVM.

PRoœmium, in quo de Operis intentione, vtilitate, ac nobilitate agitur. pag. 1

Animam in viuentium corporibus inesse principium omnibus notum esse. Cap. 1. 7

Quid animæ essentia sit apud Galenum, & primùm quid de hac re senserint antiquiores. Cap. 2. 11

Loca, in quibus Galenus fassus est, se animæ essentiam ignorare. Cap. 3. 18

Animam non esse spiritum, vt Stoici opinabantur, Galeni auctoritatibus probatur. Cap. 4. 29

Animam temperamentum esse quamplurimis Galeni, ac veterum auctoritatibus, & rationibus doceri. C. 5. 39

De naturali cerebri constitutione & quæ principaliter, & quæ secundario ad actiones animales in eo edendas concurrunt. Cap. 6. 52

Ex traditis fundamentis Galeni sententiam exactiùs comprobari posse. Cap. 7. 66

Quibus rationibus Galeni sententia euerti possit, atq; probari, animæ essentiam non esse corporis temperamentum. Cap. 8. 72

Animæ substantiam cum Hippo. & Gal. innatum calorem esse, certiùs probari posse. Cap. 9. 78

Alios præter Hippo. & Galenum fuisse Philosophos, qui calorem animam esse existimarunt, etiamsi Arist. aliter senserit: & Quid sit innatus, siue vitalis calor apud Hippoc. & Galenum. Cap. 10. 83

Naturalem calorem eas omnes functiones in viuentibus expromere posse (vna tamen rationalis animę excepta operatione) quas ipsammet animā edere voluit Arist. & primùm illas, quæ ad animam attinent vegetalem. Cap. 11. 97

Calorem innatum animæ sensitiuæ functionum primū esse auctorē & auctoritatibus, & rationibus probatur. Cap. 12. 106

Instantiæ

INDEX CAPITVM.

PRoœmium, in quo de Operis intentione, vtilitate, ac nobilitate agitur. pag. 1
Animam in viuentium corporibus inesse principium omnibus notum esse. Cap. 1. 7
Quid animæ essentia sit apud Galenum, & primùm quid de hac re senserint antiquiores. Cap. 2. 11
Loca, in quibus Galenus fassus est, se animæ essentiam ignorare. Cap. 3. 18
Animam non esse spiritum, vt Stoici opinabantur, Galeni auctoritatibus probatur. Cap. 4. 29
Animam temperamentum esse quamplurimis Galeni, ac veterum auctoritatibus, & rationibus doceri. C. 5. 39
De naturali cerebri constitutione & quæ principaliter, & quæ secundario ad actiones animales in eo edendas concurrunt. Cap. 6. 52
Ex traditis fundamentis Galeni sententiam exactiùs comprobari posse. Cap. 7. 66
Quibus rationibus Galeni sententia euerti possit, atq; probari, animæ essentiam non esse corporis temperamentum. Cap. 8. 72
Animæ substantiam cum Hippo. & Gal. innatum calorem esse, certiùs probari posse. Cap. 9. 78
Alios præter Hippo. & Galenum fuisse Philosophos, qui calorem animam esse existimarunt, etiamsi Arist. aliter senserit: & Quid sit innatus, siue vitalis calor apud Hippoc. & Galenum. Cap. 10. 83
Naturalem calorem eas omnes functiones in viuentibus expromere posse (vna tamen rationalis animę excepta operatione) quas ipsammet animā edere voluit Arist. & primùm illas, quæ ad animam attinent vegetalem. Cap. 11. 97
Calorem innatum animæ sensitiuæ functionum primū esse auctorē & auctoritatibus, & rationibus probatur. Cap. 12. 106

Instantiæ

Instantiæ nonnullæ, quæ ex Galeni dictis colligi posse videntur, & eius iam explicatam de animæ substantia opinionem videntur euertere. Cap. 13. 113
Quo pacto omnes propositæ obiectiones sint diluendæ. Cap. 14. 119
An Anima Mundi cum Platonicis fœtuum causa formatrix dici possit? Cap. 15. 130
Calorem natiuum animam esse validioribus adhuc argumentis probari posse. Cap. 16. 138
Confutatio quorundã argumentorũ, quibus Arist. Asseclę Gal. sententiam euertere conantur: Et primum quo pacto Semen animatum esse possit. Cap. 17. 143
Calor innatus licet accidens sit, nihilominus viuentium anima statui potest. Cap. 18. 147
Quædã alia aduersariorũ argumenta diluũtur. C. 19. 150
Quomodo caloris naturalis merito viuentia ad plures loci differentias moueantur. Cap. 20. 154
Cur viuẽtia in molẽ immensam non excrescant; sed determinatã habeant magnitudinem: & primùm Arist. ratio pro hac re perpenditur, & confutatur. C. 21. 162
Innatum calorem non siccũ & igneum, sed humidum, & aereum esse, & subinde nostrũ corpus & humidũ non depascere, sed potius regere, & conseruare. C. 22. 167
In viuentium corporibus calorem igneum & siccum de necessitate reperiri, qui determinatæ magnitudinis, ac senij causa est. Cap. 23. 173
Cur homo non omnem, sed talem habeat determinatã magnitudinem. Cap. 24. 186
Qua de causa sit Homo mortalis effectus. C. 25. 191
Cur homo vitam adeo breuẽ fuerit sortitus. C. 26. 197
De nãli omnium viuentium æuo: de humanæ vitæ cursu in relatione ad cæterorũ viuentium durationem; & de summa Naturæ, nostriq; Cõditoris Iustitia. C. 27. 205
De Rationalis Animæ immortalitate. Cap. 28. 218

Finis Indicis Capitum.

EVSTACHII RVDII AD

Perillustrem, & Excellentiss. Virum,

OCTAVIVM AMALTHEVM,

Libri de Anima

Proœmium, in quo de Operis intentione, vtilitate, ac nobilitate agitur.

QVANTO semper apud omnes Philosophos, celeberrimosq; Medicos tum antiquiores, tum recentiores in pretio fuerit Galenus, Clarissime compater, haud ignoras. Idq; non immeritò: Eo enim nullus vnquam extitit in Logicis disciplinis solertior, (cùm in lucem quatuor & decem libros de Demonstratione ediderit, toties in suis libris citatos, & commemoratos, necnon alterum de captionibus, quæ in verbis fiunt, volumen egregium condiderit): neq; magis in Platonis, aut Aristotelis Philosophia, ac disciplina versatus, cum in suis scriptis & illum & istum, ad fundamentum & comprobationem propriorum dogmatum, frequentissimè adductum videamus,

deamus; & in Platonis Timæum tanquam dialogum ad Peripateticam diſciplinam magis attinentem commentarium olim diuulgarit. Quamobrē de eo verba faciens accuratiſſimus ille Ariſtotelis interpres Simplicius 4. Phyſic. com. 103. non ſolum magnum Philoſophum, ſed virum etiam admirabilem Galenum vocat. Et inſuper à plerisq; alijs primæ claſſis Philoſophis, præſertimq; ab Athenæo, Nemeſio, Themiſtio, & (vt alios omittā) Auerrhoe in contemplationibus ad naturalem ſcientiam ſpectantibus, in medium aduocatus, ac commemoratus legitur. Quantum verò in Medicinæ ſcientia eminens fuerit, & reliquis omnibus præſtiterit, omnes qui in ea Dogmatici, ac Rationales habiti ſunt, facilè cognouerunt, cum in hac certiſſima Philoſophiæ parte ſemper ei primas ſedes tribuerint. Tantum enim huic facultati luminis præbuit, vt nō ſolum permulta Diuini Hippocratis, quem omniū bonorum inuentorem appellat, obſcuriora ſcripta, ac quadam veluti caligine inuoluta volumina illuſtrauerit; verum etiam ſummo ſplendore, & certitudine vniuerſam Medicinæ ſcientiam dilucidauerit. Quocirca maximo iure dici poteſt, quod ſi eā Hippocrates inchoauit, Galenus ad ſummam perfectionem redegit: & viæ, ac methodo, quam Hippocrates adinuenit, illud commodum, illamq; facilitatem, ac ſecuritatem adiunxit, quę à quouis per eam progredi cupiente excogitari poſſit. Ac ſubinde cunctas alias Medicorum ſectas, & Methodicorum, qui vocabantur, & Empiricorum, & Chymicorum, aut aliorum generum, quæ noſtra tempeſtate floruerunt, vel potius defloruere, adeo obſcu-

rauit

chymicā sectā, empiricā, et alias pter dogmaticos, et rationalē labefactauit Gal.

rauit, & labefactauit, vt sola via Galenica constāte, immobili, & gloriosa remanente, cęteræ omnes pro temporum qualitate, ac varietate, inuiæ, periculis ac incommodis humanis refertissimę, ac penitus euersæ, & obliteratæ sint. Nihilo tamen minus millies atq; millies Medicos & Philosophos nostrorum temporum illi exprobrare audiui, & hoc vnum vitio verti, quòd videlicet, quid sit anima, se prorsus ignorare fateatur: Et cum de eius quidditate, siue essentia, vel substantia, ei incidit sermo, modo cum Hippocrate innatum calorem, modo cum Stoicis insitum spiritum, modo opinatur corporis, aut præcipuarum partium temperamētum esse, aut huic temperamento inseruire, aut vti, & interdum nullam aliam vim calore ingenito superiorem agnoscere. Et hac de causa subinde à nonnullis parum prudens, habetur, & de inscitia, leuitate, atq; inconstantia notatur, & redarguitur. Quod quidem cum sæpiùs animo voluerim, & verba, atque dogmata pręclarissimi huius viri temerè tantum dilacerari non patiar, potissimum, cùm validissimis fundamentis, efficacibusq; rationibus innitantur; & me Dogmaticum, ac Galeni pręceptorum in arte nostra, sectatorem esse profitear; quem semper omnibus in meis lucubrationibus artis Medicæ in lucem editis, à quouis ei repugnante, & contradicente tueri pro viribus, ac studiosè, inter admirabiles huius facultatis Scriptores, illius nomen, vti decet, vsq; ad sydera extollere conatus sum, arbitratus in eo Sapientis dictum comprobari posse, prædicentis ante plura secula magni huius viri aduentum his verbis: Honora Medicum, quia propter necessita-

tem creauit illum Altissimus; hoc etiam tueri cogor,& omnibus patefacere, primò non fuisse inconstantem, neq; sibi contradixisse: secundò in re, quã ipsi vitio vertunt, nunquam errasse, imò sapientissimum se præbuisse: & quo ad animę inferioris, siue dicamus nutrientis, ac sentientis naturam atque substantiam, id omne pernouisse, quod naturali & humano ingenio, intellectuue discerni potest: & cum ad intellectum ascenderit humanum, ad cuius essentiam nostrum naturale lumen forsitan nõ peruenit, & aspirat (hacq; de causa Philosophus de illo valde implicite loquitur.) prudentissimum extitisse, clauumq; in lingua tenuisse. Quare cum ipse vnà cum præceptore suo, Diuino nimirum Hippocrate potissimum explicauerit animam vegetalem, ac sensitiuam naturalem calorem esse, si ego validissimis argumentis huiuscemodi dogma verissimũ esse comprobauero,& cunctis obiectionibus ab Aristotele, ac cæteris Philosophis eius sectatoribus aduersus hanc veritatem adducendis me opposuero, nec non calorem innatum cõfirmauero per seipsum omnes efficere operationes, & effectus, qui ab Aristotele,& alijs Philosophis animę nutrienti & sentienti assignantur, has deinde, eorum bona pace, duas conclusiones elicere potero: Prima erit, Galenum magnum sapientem circa humilis animę essentiam verum scripsisse, cæterisq; melius sensisse; sicq; votum assequar meum, & Physicum celebratissimum tuebor, lumen artis medendi fulgentissimum; ex quo pleriq; in posterum audaces de illo obloqui cauebunt. Secunda erit, quòd argumento & ratione demonstrante, ab effectu desumpta,

apertè probabitur, ac ab omnibus clarè dignoscetur, quod cum non valeat innatus, siue naturalis calor intellectus, siue humanæ mentis, rationalisue animæ functiones celebrare, neq; componere, aut diuidere, aut ratiocinari, vel consequentiam, & repugnantiam in rebus cernere, sola hominis intelligentia, & rationalis anima indiuisibilis est, & immortalis, & non quidem, vt aliæ inferiores facultates, è materiæ potentia educta, sed à summo rerum omnium opifice in cœlo creata, & ab eius potentissima ac munificentissima manu demissa, & in hominem infusa. Verum quoniam mea hęc speculatio non minus difficilis, quã iucunda & vtilis est, vtq; optimè intelligatur, hominem non modo in Medendi scientia, sed multò magis in naturali Philosophia, pręsertimq; in Logica doctrina exercitatissimum requirit, nullum te ipso in istis disciplinis doctiorem, magisq; versatum, & instructum reperiri video. A quo quando mea hæc contemplatio fuerit comprobata, rectissimè egisse; votiq; compotem me esse arbitrabor. Tua siquidem peritia atq; præstantia in curandis & arcendis morbis à Serenissima Republica Veneta, totaq; ciuitate commendata inprimis, amplexataq; fuit: Vbi per annos plus quam quadraginta communi vniuersæ ciuitatis beneficio, & quasi totius Europę, quæ diuersis temporibus, tanquam ad emporium totius orbis terrarum celebratissimum confluxit, summo honore, & gloria vitam honestissimam duxisti, & hanc eminentissimam artem exercuisti. Doctrinam porrò tuam in studio Sapientiæ, & admirabilem in discernendo verum à falso pręstantiam recensere, superua

caneum esse arbitror; cum tua in adolescentia aliquot annos in nostra Academia Patauina duos illos diuinos Aristotelis libros posterioristicos publicè explicaueris confluentibus plurimis auditoribus, qui admirabili silentio ex ore tuo pendebant; & tui collegæ alioquin doctissimi ęstimati in numero auditorum palmam tibi dabant: Inter quos etsi ceteris omnibus inferior etiam numerandus sum ego: qui biennio maxima cum animi voluptate te Aristotelem interpretantem audiui. In quorum vltimo secundi libri posteriorum adeo celebris, ac perfectis Philosophis atq; Medicis adeo vtilis, & necessarij explicationem percepi. Et, quod plurimum interest, & extollendum imprimis, tu, tua illa animi magnitudine ductus, primus Illustrissimos huius Gymnasij Moderatores, vt in Academia Patauina liber ille publicè explicaretur, hortatus fuisti. Olim enim per secula nunquam nisi primus, fuit explanatus. Hoc & alia signa, in ea quasi viridi ætate cunctis tum legentibus, tum studentibus exhibita; quæ annis grauioribus, ac maturis à te expectanda erant, ostendere planè potuerunt. Quod etiam absq; vllo dubio sperari optimè poterat, imo certissimum haberi, cum ex Nobilissima Amalthea hominibus doctissimis florentissima, & olim, & in præsenti, celeberrimis ac sapientissimis viris copiosissima familia sis ortus. Ex qua Ioannes Baptista Eques Patruus tuus olim à secretis Sanctissimi D. N. Pij Quinti fœlicis memorię Pontif. Max. Vir admirabili ingenio, integritate, atq; prudentia pręditus; quibus partibus magnopere dilectus, & in numero suorum familiarium à Diuo Carolo Borromęo

mæo habitus fuit; eo potissimum tempore, quo etiā Iacobus Rudius mihi Patruus, Prothonotarius & Abbas Mosacensis intimus suorum domesticorum vnus tenebatur. Insuper Parentem Hieronymum sua tempestate Poetam, ac celebratissimum Philosophum habuisti, & arte nostra adeo eminentem, vt eo tāquam altero Æsculapio vniuersa Patria nostra Foloiuliensis in maximis suis depellendis morbis semper quamplurimis annis fructuosissimè vsa fuerit. Possem profectò tum alios complures, tum potissimum Perillustrem, ac Reuerendissimum Attilium Fratrem tuum, nunc Atheniensem Archiepiscopum commemorare, qui cum sit vir singulari sapientia, prudentia, & integritate clarus, Pontificijs Legationibus sæpiùs est perfunctus. Sed, tum illum, tum alios, breuitatis causa, silentio præteribo. Et his procemij loco prelibatis, ad opus me accingo, te obnixè rogans, vt quo tempore tibi otium aliquod suppetit (quod certè breuissimum erit) illud libenter, accuratèq; perlegas, moxque tuum de hac re mihì iudicium tua ingenuitate dignum proferas.

Animam in viuentium corporibus inesse principium omnibus notum esse. Cap. I.

CVM autem ex Philosophi, Galeni, & omnium sententia quęsitum, An sit, id, quod Quid est, præcedere debeat, maximè congruum in hac contemplatione sumemus initium, si dicamus, animā in nobis existere omnes nouisse. Galenus enim in fragmento illo de Substantia Naturalium facultatum

rum tanquam communem quandam sumptionem, siue principium per se notum, huiusmodi enuntiatum accepisse visus est. Cum enim Plato in Timęo mundi animam per ipsum totum diffusam affirmasset, & cur Plato in hanc sententiam deuenerit, alijs in commentarijs nihil ei consentiens aut repugnãs declarasset, & naturalium rerum contemplationem ad probabilitatem, veriq; similitudinem vsq; progredi eam censeret, hæc statim Galenus subintulit: Ego sanẽ (inquit) stirpes internum aliquod motus principium ac vim propria & aliena sentiendi habere, verum esse puto: eiusmodi tamen res non in tempore proferre magis, quam ille, refugio. Siquis autem à me quærat, quid animalia stirpibus præstent; sensu ego illa præstare, voluntarioq; motu, responderem, & item ijs facultatibus, quas modo memoraui, attrahendi, expellendi, continendi, & immutandi; quas non animales, sed naturales voco: præsertim cum ex hac re nullum detrimentum afferri aut Medicinæ, aut Philosophię Morali perspiciam. Cum verò mihi de Naturali parte philosophiæ Moralis, qualem Plato constituit, mihi est necessariò differendum, quædam apertè laudo, illiq; assentior: in quibusdam pertractandis ad probabilitatem vsq; progredior, sicuti in quibusdam prorsus dubito, neq; vllum mihi rationis momentum in controuersis suppetit, cuius vi alterutrum probabilius esse videatur: quemadmodum norunt omnes animam in nobis esse, quippe qui ea, quę, dum ambulamus, dum currimus, dum luctamur, varijsq; modis sentimus, corpore gerimus, euidenter intueãtur. Pręterea verò intelligant, harum actionum

causam

causam esse aliquam oportere: quod est omnibus hominibus axiomate quodam probato à natura persuasum, vt nihil fieri sine causa intelligamus. Verum, quia harum actionum causa ignoratur, ab ea vi, quam habet ea efficiendi, quę efficit, nomen est ductum, vt vis singularum, quæ fiunt, rerum effectrix nuncupetur. Ex quibus Galeni dictis apertè patet, animam in nostris esse corporibus, esse commune quoddam principium, ac per se notum. Quod quidem apertiùs adhuc ex ipso motu in diuersas ac sępe contrarias loci differentias, ab internoq; principio profecto, & in eodem elemento facto, demonstrari potest. Si enim de inanimis corporibus habeatur sermo, hæc profectò ab intrinseco principio, quod in genere causæ non quidem finalis, sed efficientis continetur, non possunt habere nisi vnicam ac simplicem motus differentiam. Quemadmodum enim declarat Philosophus in principio primi de Cœlo, cęlestia corpora circulari tantummodo latione, quatuor elementa solum recto mouentur motu, quorum duo sursum, reliqua deorsum tantummodo naturaliter feruntur. Quod si ignis & aer circulariter moueantur, id ijs non ab interno, sed ab extrinseco principio contingit, & non secundum eorum naturam; quod etiam de aquæ fluxu, atque refluxu asserendum est. Mixta quoque corpora, sed anima carentia, ab intimo suo principio, suapteq; natura vnico, eoq; simplici mouentur motu, grauia quidem deorsum, leuia, si quę sunt imperfectè mixta, sursum; quales exhalationes sunt atq; vapores, nisi & hæc quoq; non ab interno motore, sed ab extrinseco & solis calore sursum trahantur.

De horum enim circulari motu nemo dubitat, quin ad motum ignis vel aeris in gyrum ab extrinseco motore circumducantur. Videmus pariter omnes lapides, atque metalla recto motu suapte natura deorsum tendere: Ferrum autem dum ab Heraclio lapide sursum trahitur, motus hic ei ab extrinseco, & violenter imprimitur. Quod etiam de omnibus corporibus aut proiectis, aut impulsis, & quoquo pacto violenter motis est asserendum. Quod si quis obijciat lignum, aut trabem in aere deorsum, in aqua sursum ab interno principio moueri, huic ex iacta hypothesi iam responsum est. Hi enim contrarij motus non in eodem contingunt elemento. Sed si lignum, vel trabs, vel aliud corpus minus densum, in quo aer conclusus copiosus asseruari possit, mergatur in aqua, vi quidem deorsum pellitur, ac deorsum mouetur, ac subinde non ab interno, sed externo violentoq; motore cietur. Ab interno autem motore solam lationem, quæ sursum fit, sortitnr, propter aerem copiosum in aqua corpus illud suspendentem. Sed in aere manens à partibus terreis ac grauibus deorsum fertur. Animata verò corpora qnæcunq; sint, tum in aere, tum in aqua, varijs atq; contrarijs, & horum nonnulla nedum rectis, verum etiam obliquis, & circularibus, artificiosisq; cientur motibus. Quorum obliqui, ac progressiui omnium brutorum communes, artificiosi verò ipsorum hominũ proprij censeri debent. Hinc verò patet, cur Plato animam definiens ipsam numerum esse seipsum mouentem dixerit. Et Philosophus 8. physic. tex. 29. dicebat, moueri à seipsis proprium animatorum esse.

Quid animæ essentia sit apud Galenum, & primùm, quid de hac re senserint antiquiores. Cap. 2.

CVM itaq; clarissimum sit ex Galeni & omnium auctoritate, animam in nobis esse, sequitur, vt videamus, quidnam de eius essentia siue substantia, siue quidditate idem Galenus senserit. Et vt methodo conuenienti progrediamur, primum Antiquorum opinionem, quam refert Galenus, apponemus Aristotelem imitati, qui & ipse in hac contemplatione prius Antiquorum sententias examinat: Secundò ea loca describemus, in quibus Galenus fateri videtur, se animę essentiam prorsus ignorare: Tertio eius dicta proferemus, in quibus obscurum huius speculationis lumen concipiens assertiuè affirmat, quid anima non sit: Vltimo loco ipsum audiemus dicentem, quidnam arbitratus sit animam esse; qua in re ab Hippocrate præceptore suo nulla ex parte discrepabit. Quibus accuratè enucleatis, nostrum erit, huiuscemodi sententiam exactiùs comprobare, & tandem omnes dubitationes, quæ aduersus Hippocratis, & Galeni mentem afferri possunt, è medio tollere. De Antiquorum igitur opinione sermonē habens Galenus in libro de spermate ante medium, sic ait: Dicunt Ammonius, Democritus, & alij complures, quod ille spiritus (cuius scilicet origo est à corde, & cuius clarior pars ascendit per quasdam arterias ad caput, & ibi se secundariò clarificat per calorem sursum procedentem à corde, & clarificatus vadit per duas arterias in neruos, qui sunt harmonia trium ventriculorum ca-

pitis vſq; ad animam, cui ex nimia ſubtilitate ſui connexa eſt anima) dicunt, inquam, quod ille ſpiritus eſt corporeus; & idem ipſe eſt anima, hac ratione, quòd miniſtrando phantaſiam ſenſibus, & ſenſus corpori, findens ſe per poros dat corpori ſenſum; hinc etiam accidentalis probatur eſſe, quia harmonia capitis, eo conſumpto, neceſſariò trahit alium ſpiritum per eaſdem arterias ad nutrimentũ animæ: quia ſi ſubſtantialiter ineſſet, nõ eſſet opus alium attrahi. Vnde per hunc & ipſa anima corporea eſſe probatur. Porphyrius non conſiderat quidem animam, ſed conſiderat ſpiritum animatũ rationalem, oſtendens, ſpiritum hunc in Iſagogis corporeum eſſe neceſſarium ad opus animæ; non ipſam animam. Sed Socrates, Plato, Ariſtoteles, Theodorus Platonicus, & Andronicus Peripateticus,& Porphyrius, & alij complures vnanimiter affirmant, quod nec corporea eſt, nec lege loci tenetur, nec ſcinditur: quia cum totum corpus virtute ſui illuminet ad quælibet exteriora progreſſa, non tamen in ſubſtantia ſua aliquam ſciſſionem patitur: & ſicut aer Sole illuminatur, ſic corpus anima: & ſicut aer per Solis lumen primam omnium rerum confert oculis intelligentiam: ſic anima corporis harmoniæ per ſpiritualem ſuæ ſapientiæ lucem, & primam, & ſecundam intelligentiam confert: Et ſicut lux Solis, quæ incorporea eſt, ſuum complens effectum, nullam patitur diuiſionem; ſic & anima: Sicut etiam lumen Solis, quod incorporeum eſt, ſeparatur ab aere,& ab omni intelligentia oculorum ſine corruptione; ſic anima, quæ incorporea eſt, ſeparatur ſine corruptione à corpore. Empernomos

Philo-

Philoſophus dicit, non eſſe mirum, Animam, quæ eſt ſubſtantia incorporea, poſſe ſeparari à corpore, cum ignis, qui eſt ſubſtantia corporea, poſſit ſeparari à lignis, quibus eſt iunctus, & reuerti in primã, & propriam naturam ſine ſui corruptione, ſicut etiã Solis lumen illuſtrandum hominibus ſola vi vtitur ſua, non indigens vi alterius, quę attrahat quaſi ad complementum prioris virtutis; ſic & anima. Et hæc de Antiquorum dictis à Galeno de animæ quid ditate exaratis nunc ſatis erunt. Nam alia plura in explanatione eorum, quæ reliqua ſunt, aperta fient. Quæ quidem per ſe adeo clara ſunt, vt nulla fere indigeant declaratione. Nam harmoniæ nomi ne ipſos complexionem, ſiue temperamentum intellexiſſe patet. Sicut, dum aiunt aerem per Solis lumen primam omnium rerum oculis conferre intel ligentiam, per hanc non niſi ſenſationem, ſeu cogni tionem ſenſitiuam intelligi voluerunt. Verum, quo niam huiuſcemodi Antiquorum ſententia maxima conſideratione digna eſt, antequam ad vlteriora progrediar, mihi liceat in ea aliquantiſper immorari, & pulcherrimam quandam in ea contingentem ambiguitatem proferre, & è medio tollere. Tametſi enim liber de Spermate inter ſpurios Galeni libros connumeretur, nihilominus ſententia hęc à Galeno in eo deſcripta, Antiquorum, & præſertim Ariſtotelis ſententiæ eſt maximè conſentanea; & ea, quæ à me nunc dicentur, ad percipiendam Galeni mentem infrà proponendam apprimè facient. Clariſſimum eſt igitur, nedum ex Ariſtot. verum etiam ex Platone, Galeno, & alijs omnibus, animam nobiſcum copulari aliquo principio mediante, quod

ipsius vitæ fons, & origo sit. Quod quidem licet apud Aristotelem vnum sit; apud Platonem, & Galenum multiplex: nihilominus omnes tum Philosophi, tum Medici in hoc consentiunt, cor innati caloris, quem etiam vitalem vocant, primam scaturiginem, & focum esse. Quo quidem concesso, de necessitate sequitur cor esse vitę principium atq; radicem præcipuam, quemadmodum etiam ex Antiquorum placitis statim suprà descriptis colligere licet. Siquidem vita, vt docuit Aristoteles in libro de mort. & vita, nil aliud est, nisi participatio animæ in natiuo calore, & ipsius in eo permansio: cui veritati ipse quoq; Galenus adstipulatur. Nam vniuersa viuendi ratio in ratione natiui caloris sita est; cuius quidem initium, & fons cor ab omnibus sine vlla controuersia statuitur. Verum si verissimum quoq; est ex Hippocratis, Platonis, Aristotelis, & Galeni decretis innatum calorem vel esse animam, vt voluit Hippocrates & Galenus, vel animæ proximum, atq; præcipuum, & immediatum instrumẽtum, siue vnum, siue alterum dicamus, cogimur quoq; de necessitate fateri, cor ipsum esse totius animæ primam radicem, atq; principium. Absurdum est enim fateri animæ organum in vno principio, animam verò & artificem, qui in proprijs edendis functionibus eodem vtitur instrumento, in altero principio radicari. Hæc autem sententia adeo vera est, vt etiam ab ipsis sacris Theologis, qui in omnibus semper veracissimi sunt, fuerit suscepta.

Quibus sic explicatis, remanet, vt dubitationem, quam pollicitus sum, proponã, quæ nedum in Aristotelis, & Theologorum, verum etiam in Plato-

nis,

nis,& Galeni placitis locum habebit. Quæ autem ex his opinionibus firmioribus innitatur fundamentis,& quomodo Platonis,& Galeni sententia, quæ plura principia,& ipsum cerebrum inter ea principalissimum ponere videtur sit intelligenda, nos in primo libro illius operis, quod de naturali & morbosa cordis constitutione inscribitur, exactiùs aperuimus. Dubitatio itaq; erit hæc, quonam pacto anima, quæ, ex Aristotelis, & omnium sententia est tota in toto, ad vnũ primum,& principale membrum, quod, exempli gratia, imò de necessitate, cor est, determinari & contrahi possit. Si enim anima, dicet ingeniosus, ex se determinetur,& contrahatur ad vnum,& primum membrum, non videtur alijs communis, imò sibi repugnare videtur, in alijs esse. Ergo erit in corde tantum, vel vbicunq;, & in quocunq; loco, siue membro, esset anima, in eo pariter esset cor. Quemadmodum homo, quia risibilitatem sui natura sibi vendicat, vbicunq; reperitur, ibi risibile adinuenitur. Hoc tamen falsum est, quia in cerebro reperitur anima,& tamen in cerebro non reperitur cor. Neq; valeret subterfugium, si quis diceret, quod anima alio mediante, & per aliud ad ipsum cor contrahitur: quia tunc cor non esset primum,& principalissimum membrum. Est enim cõtra rationem primi membri, vt per aliud prius in esse constituatur. Huic alioquin arduę,& perdifficili ambiguitati possumus breuiter respondere per ea potissimum principia Aristotelica, quę à te (Clarissime Compater) adeo exactè, & accuratè olim fuere declarata, nimirum dicendo, aliquod primum esse ex Aristotele primo poster. cap. 3. dupliciter di-

ci

ci posse: Vno quidem modo prout significat id quod est adæquatum : altero autem modo, quatenus idē est, quod immediatum; nam primum & immediatum idem sunt, ait Philosophus. Qua stante distinctione, scire expedit, quod nunquam idem est primum primitate (vt clarè loquar) adęquationis, & primum primitate immediationis. Persisto in exemplo ab antiquis superius proposito, & à Galeno descripto. Sol sui natura potest vniuersum aerem siue medium diaphanum illustrare, & est indifferens ad quamcunq; medij partem illustrandam: Nihilominus quia inter plures medij illustrādi partes datur aliquis ordo; nam datur pars Soli propinquior, & pars remotior; ideo, etiam si omnes medij partes simul tempore, & eodem instanti collustrentur à Sole; attamen, si quis quęrat, quod sit primum à Sole illustratum, an scilicet totum medium, quod plures continet partes, an potius pars Soli propinquior; possumus optimo iure respondere, quod primum illuminatum primitate adęquationis, quod collustranti Soli correspondet, est vniuersum medium, prout omnes partes includit: Primum autem illustratum, quod est immediatè tale; non est vniuersum medium, sed pars Soli propinquior, quia hęc immediatiùs Solis lumine perfunditur, quam pars remotior, & vniuersum medium alioquin diaphanum. Quod igitur exemplo causę efficientis dictum est, formali causæ, & ipsi animæ facillimè accommodari potest. Nam anima licet vniuersum corpus organicum secundum se totū possit sui natura informare atq; perficere, quia primū perfectibile, & adæquatum est totum corpus organicum;

nicum; nihilominus quia in totius organici corporis partibus adest ordo originis vel in se, vel in habendo animam, quia primum perficitur cor, deinde aliæ partes, vt rectè inquit Philosophus lib. de generat. animal. cap. 16. Ideo anima & forma hęc non primò & æquè immediatè vniuersum corpus perficit, & informat, sed primò & immediatè cor; deinde, corde mediante, alias corporis partes. Ex qua distinctione responsio ad argumẽtum facilè patet. Licet enim anima sui natura determinetur ad esse & subsistendum in corde primitate immediationis; non tamen sequitur, quin primitate adęquationis in alijs partibus esse & subsistere possit. At verò idem Galen. in fragmento de substantia natural. facultat. Veterum sententiam de animæ essentia summatim perstringens hunc in modum ait: At qui naturalem, quam vocant, contemplationem pertractarunt, cum alij alia sibi persuaserint, partim facultates quasdam corporis expertes in sensilibus habitare substantijs affirmarunt, partim ipsas substantias pro cuiusq; propria natura agere censuerunt: idq; siue illa natura ex quatuor elementorũ temperatione constet, siue ex quapiam primorum corporum coagmentatione, quæ nonnulli indiuidua, nonnulli incompacta, nonnulli partis expertia, nonnulli deniq; ex similibus inter se conflata particulis esse dixerunt. Etenim nostram quoque animam alij essentiam quandam corpore vacantẽ; alij spiritum esse opinati sunt, vt alij ne proprium quidem habere quid, in quo subsistat: sed corporis, substantiæ proprietatem dici, quæ earum rerum, ad quas faciendas apta & nata est, vires habeat:

cum tamē nulla earum propriam habeat naturam, ſed ſubſtantia ſit, quæ dum per ſe ipſa agit, habere per ſe,& à ſe dicitur vires eorum agendorum, quæ vt faciat,eſt ei natura tributum. Hæc ille. Quibus ex Antiquorum ſententia de animæ quidditate, ita Galeno referente, enucleatis, reliquum eſt,vt ad ea loca, in quibus Galenus de re hac ſe ambiguum & incertum eſſe affirmauit, referenda tranſeamus.

Loca, in quibus Galenus faſſus eſt, ſe animæ eſſentiam ignorare. Cap. 3.

IN loco itaq; ſtatim ſuprà citato,& ilicò poſt verba iam relata,ſubdit Galenus, Ego verò(inquit) inter hos medium quendam ordinem ſequor: Cum enim de cęteris decretis abſolutè pronunciem, partim, quòd in eis, quid verum ſit, cognorim; partim quod nihil compertum habeam; certè in ijs, quorum nuper memini, ad probabilitatem vſq; progre dior, eſſe nimirum ſatius exiſtimans,vt à me cogni ta ſunt, quod facere in alijs conſueui, ita de eis efferre ſententiam: neq; mihi, aliorum more,perſuadeo,me certa cognitione præditum eſſe eorum, quo rum certam demonſtrationem non habeam. Itaq; de ijs dicam omnibus, quorum cognitio neque ad medicinam corporis, neq; ad morales animi virtu tes excolendas eſt neceſſaria; magnum tamen afferent ornamentum, ſi ita certò cognita eſſent, vt quæ in Medicina, Moraliq; philoſophia abſoluta, perſpectaq; ſunt: quam ego & vtilem eſſe, & poſſe comparari ab ijs omnibus ſtatuo, qui in ea ponere ſtudium voluerint. Qua de re duos ego libros con

feci.

feci. Nunc, quod pollicitus ſum, efficiam, hincq; exordiar. Aio igitur, me certo ſcire, omnia corpora, quæ apud nos ſunt, ex quatuor elementorum temperatione conſtare: quæ non minutas in particulas infringuntur, vt Empedocli placuit, ſed per ſe tota temperantur. Vtrum verò corporeæ ſubſtantiæ ſe mutuo totæ permeent, an ſolæ qualitates hoc munere fungantur, neq; cognitu neceſſarium ſtatuo, neq; pronuncio. Probabilius quidem cenſeo temperamenta è qualitatibus confici. An etiam anima immortalis corporeis admiſta ſubſtantijs, animalia gubernet, me certo noſſe non profiteor: ſicuti neq;, ſitne vlla per ſe animæ eſſentia. Hęc Galenus. In quibus, priusquam ad alias ipſius auctoritates progrediar, mihi liceat gradū aliquantiſper ſiſtere, & ſciolos iſtos, vel potius nimium audaces, qui adeo libenter Galenum ignorantiæ accuſant, rogare, vt relata Galeni verba diligenter expendant, in quibus ait, ſe melius eſſe exiſtimare, quo modo res ſibi cognitę ſunt, ita de eis efferendam eſſe ſententiam; neq; ſibi, aliorum more, perſuadere, ſe certa cognitione præditum eſſe eorum, quorum certā demonſtrationem non habeat; & poſtea mihi reſpondeant, vtrum deterius, & magis improbandum ſit, nimirum, propriam alicuius rei ignorantiam fateri, vel potius eius, quod penitus ignoratur, ſcientiam profiteri? Illud profecto mihi probitatis, modeſtiæ, ingenuitatisq;: hoc impudentiæ, & peruicacię ſignum eſſe videtur. Adhæc, cum Galenus, vt ex verborum ſerie iam deſcripta liquet, de hominis anima iam verba faciat, quid mirum, ſi de eius eſſentia propriam ſententiam proferre non audeat;

& tandem de eius immortalitate & vnitate dubitationem se habere affirmet, cum ab ipso quoq; Aristotele diutiùs dubitatum sit, an animæ possit vnica, & ea vniuoca definitio competere, & inter eius expositores tam variæ extiterint sententiæ, quidnā ex Aristotelis dictis atq; principijs de eius immortalitate elici possit. Certissimi profectò sumus rationalem animam perennem, à Deo Opt. Max. creatam, & immortalem esse: sed id non ex Aristotelicis, sed firmioribus principijs, & fidei lumine illustrati consequuti sumus; quemadmodum & creationem ipsam naturę lumen, & Aristotelis ingeniū attingere non potuit, & nihilo secius nil certius & clarius, nil firmius ipsa creatione habemus.

Sed ad aliam Galeni auctoritatem pergamus: Et clarissimam ipsius de animæ substantia sibi incomperta confessionem, seu de rationali dubitationem, in fine libri de fœtus in vtero formatione expressam hic prætermittentes, & infra commodo loco describentes, conuertamur ad eam, quæ reperitur in libro illo, cuius inscriptio est, Quod animi mores sequantur temperaturam, capit. 3. Hic cum sui præceptoris Platonis opinionem attulisset, in qua Plato tres animę species ponebat, & vnam quidem in iecore, alteram in corde, tertiam in cerebro collocabat: & ex his tribus totius animæ speciebus, ac partibus, immortalem esse eam, quę in cerebro collocata ratiocinatrix est, asserebat, relictis duabus primis animæ partibus, de huius animæ partis, siue speciei æternitate Galenus ambigens ita scribit: Si igitur pars, quæ ratiocinatur, animæ species sit, mortalis erit: siquidem ipsa quoq; est quędam cerebri tempe-

temperatura, atq; ita omnes animę speties, ac partes habebunt suas facultates temperaturę consequẽtes: talisq; erit animæ substantia. Si verò immortalis sit, vt Platoni placet, cur refrigerato vehementer cerebro, aut nimium calfacto, aut siccato, aut humectato separetur, rectè nobiscum ageretur, si Plato, vt alia, quæ ad eam pertinent, conscripsisset: nam & mors, vt est proditum à Platone, fit, cum anima separatur à corpore. Cur autem ipsam à corpore seiungat copiosa sanguinis euacuatio, & cicuta epota, & æstuosa febris, profecto si in hac lucis vsura Plato versaretur, ab eo perdiscendum omnino censerem. Sed quia ille desijt esse in humanis, & nemo è Platonicis Doctoribus causam vllam me docuit, cur ijs de causis, quas memoraui, anima à corpore seiungi cogatur, equidem non omnem corporis speciem ad animam rationis participem suscipiendam aptam esse ausim affirmare. Hoc enim esse Platonis de anima sententiæ consentaneum intueor: de eo tamen nullam habeo, quam afferam, demonstrationem; quòd, animæ substantia qualisnam sit, ignorem: cum eam genere eorum, quę corporis expertia sunt, contineri statuerimus: Video enim in corporibus cum mirum in modum inter se diuersas, tum vero permultas temperaturas: At incorporeę substantiæ, quæ constare per se ipsa possit, non sit autem qualitas, aut forma corporis, certè quamuis sæpe meditatus sim, diligenterq; peruestigarim, tamen nullam eius differẽtiam perspicio. Sed nec animo concipio, qui fiat, vt cum nulla pars corporis sit, in totum pertinere corpus queat. Atq; horum quicquam ne cogitatione quidem comple-

cti potui, quamuis ſim diu, multumq; meditatus.
Illud verò euidens, perſpicuumq; eſſe noui, ſanguinis euacuatione, cicutæq; potione corpus refrigerari: vehementi febri nimium calefieri. Idem etiam iterabo, cur refrigeratum, aut excalfactum corpus anima prorſus deſerat, cum longo ſtudio quęſierim, non inueniſſe: ſicut neq; cur, cum flaua bilis in cerebro redundat, dementiam; cum atra, melancholiam gignat. Itemq; cur pituita, & quæ refrigerandi vim habent, veterni cauſę ſint, à quo memoria, intelligentiaq; læduntur. Cur etiam cicuta epota eam inſaniam pariat, quam Gręci nomine ducto ab eo affectu, quo affici ab ipſa corpus video, κώνειον vocant: vini autem potus omnes ſolicitudines ac moleſtias aperte leniat. Hæc ipſe. In qua etiam auctoritate liquido conſtat, eum, dum ait, animæ ſubſtantiam ſe ignorare, de parte ratiocinatrice verba facere, vti etiam in alia ſuperiori loco citata verborum ſerie, ſemper de eadem ſermonem habuit. Inſuper ex his verbis mirari lubet Galeni diligentiam; animiq; magnitudinem in rebus arduis, ac difficillimis perueſtigandis ac dijudicandis, cum dicat, ſe rem huiuſcemodi ſæpe meditatum eſſe, diligenterq; perueſtigaſſe, & nihilo ſecius nullam huius animæ ſubſtantię differentiam perſpicere potuiſſe, nec animo concipere; quo pacto, cum nulla corporis pars ſit, in totum pertinere corpus queat: atq; horum quicquam ne cogitatione quidem complecti potuiſſe, quamuis diu, multumque fuerit meditatus. Vnde ab eo diſcant illi, qui adeo facilè de rebus obſcuris inconſideratè, & extemplò ferè ſuam efferunt ſententiam. Ex hoc quoque non

leue

leue argumentum ratiocinatricis animæ immortalitatis elicimus. Cum enim Galenus adeo perſpicax, adeo admirabili præditus ingenio, & adeo in Logica facultate, & Peripatetica doctrina, & in alijs omnibus diſciplinis verſatus, etiamſi diu multumq; meditatus ſit, nullis omnino parcens laboribus, & aſſiduis contemplationibus animæ noſtræ ſubſtantiam atq; naturam aſſequi non potuerit, ſignum euidentiſſimum eſt, ipſum hanc eandem animam, ſiue animę partem aut ſpeciem neque corpoream,& materialem, neq; ſubinde mortalem agnouiſſe. Si enim talem agnouiſſet, quemadmodum de alijs duabus ſpeciebus (quarum vna in iecore, altera in corde ſita eſt, verba faciens, eas vnà cum Platone in morte corrumpi dixerat,& ſubinde illas harum partium vel temperamentum eſſe,vel ex earum temperamento reſultare, vel idem temperamẽtum conſequi, affirmauerat ; ita quoq; de anima rationis participe abſolutè pronũciaſſet,ipſam morte corrumpi, & proinde cerebri temperamentum eſſe, vel ex eo prodire, vel ſuam facultatem illud idẽ temperamentum conſequi,ſubindeq; talem eſſe animæ ſubſtantiam tradidiſſet. Nihilominus ipſe clarè rem hanc ſub dubio relinquit per hęc verba dum ait: Si verò immortalis ſit, vt Platoni placet: Et quamuis aduerſus Platonis placitum afferat inſtantiam, inquiens, neq; Platonem, dum vixit, neque aliquem ex Platonicis vnquam declaraſſe, cur ſcil. refrigerato vehementer cerebro, aut nimium calfacto, aut exiccato, aut humectato ſeparetur, aut cur ipſam à corpore ſeiungat larga ſanguinis euacuatio,& cicuta epota,& æſtuoſa febris; attamen huic

inſtantiæ

instantię ipsemet videtur occurrere, dum statim sub dit, se audere affirmare non omnem corporis speciē ad animam rationis participem suscipiendam aptā esse, quod etiam Platonis de anima sententiæ consentaneum esse ait. & ilicò post addit, de hoc nullam se habere, quam afferat, demonstrationem, eò, quòd animæ substantia qualisnam sit, ignoret. Peripatetici verò Aristotelis sectatores huic Galeni obiectioni facilè respondent, dum aiunt, rationalē animam neq; corpoream, neq; organicam quidem esse, sed nihilominus, aliquō, quod in corpore existat, & organicum sit, ad proprium obeundum munus indigere. Quo quidem vnà cum cerebri (in quo tanquam in proprio organo residet) & totius corporis, ac cordis potissimum naturali ac propria temperatura pereunte, necesse quoq; est, vt rationalis anima à propria cesset operatione, & à corpore ipso separetur. Hæc obiter. Nunc ad alium Galeni locum me transfero, è quinto scil. de simplic. medicam. facult. cap.9. in quo de animę substantia dubitare se ait. Cum enim de pus mouentibus pertractaret, quæ quidem innatum calorem penes copiam augere debent, Verū nihil prohibet (inquit) sanguineam substantiam simulq; seminalem vnà cum spiritu calidum inaudire innatum. Ac Stoici quidem hunc ipsum spiritum animæ esse substantiā autumant. Nos sanè de animæ substantia non admodum pronunciare quippiam audemus, & ad prę sens superuacaneum arbitramur. Quanquam nos iam ante spiritum innatum, etiamsi non sit animæ essentia, saltem primum eius instrumentum esse, commentarijs de Hippocratis, Platonisq; placitis

demon-

demonstrauimus: & certè dicimus eum spiritum in omnibus animatis contineri partibus, sed non vndiq; esse sui similem, veluti nec sanguinem esse necesse. Quam sententiam de hominis anima prout rationis participem comprehendit, fuisse prolatam, clarissimum est. Cum enim humanum corpus in vniuersa rerum sublunari natura, vt idem Gale. 2. de Temper. docet, sit symmetron, siue eucraton, & exactè medium, ac temperatissimum, pus mouentia, qualia in hoc loco proponuntur à Galeno, vt; aqua temperata, hydrelæon, triticea farina, oleum temperatum, & panis ipse triticeus, sunt & dicuntur temperata in relatione ad humanum corpus, & illud quidem temperatum, ac subinde calorem humano calori penes gradum quàm simillimum nacta sunt, ac subinde nostrum insitum calorem non penes gradum, sed penes copiam & quantitatem potius adaugent. Hæc sunt potiora loca (vt alia nonnulla prætermittamus) in quibus Galenus animæ substantię cognitionem dubiam reliquisse videtur. Nisi velimus his, quæ dicta sunt, Nemesij in lib. de Anima, cap. 2. testimonium adiungere: qui clarè inquit, quod Galenus de hac re nihil quidem pronunciat; sed testatur in libro de Demonstratione, se nihil de anima affirmasse; attamen, quę dicit, declarant, eum magis probare animam esse temperamentum, vtpote cum morum differentia temperamentum sequatur: quod ex Hippocratis dictis affirmare nititur. In hanc autem sententiam probabiliter inclinare Galenus potest, quia tunc ex tribus animę speciebus, quas ipse vocat, ad duas illas, quę ex mente quoq; Platonis corrumpuntur, respexit.

Quod hoc sit verum hæc formalia verba statim sub dit Nemesius: Verum, si ita est, certe etiam mortalem eam opinatur, non tamen omnem, sed eam tantum, quæ rationis est expers. Nam de rationis participe addubitat his quidem verbis.. quid clarius? Nos vero libros quatuordecim Galeni, de demonstratione confectos, quorum ille tum in catalogo suorum librorum, tum in alijs suę Medicinę locis sæpius meminit, nunquã vidimus: quia ad nos (quemadmodum tu quoq; melius nosti, Clarissime Compater) siue temporis, siue ignis iniuria id factum sit, non peruenerunt, etiam si ab omnibus mirum in modum desiderentur. Hęc igitur, si verissima sunt, & si ex vna parte Socrates, Plato, Simplicius, & alij veteres, & inter recentiores D. Thomas fulgidissimum illud Philosophię ac sacrę Theologiæ lumen, & infiniti ferè alij præclarissimi Philosophi & Medici rationalem animam ęternam esse censueruut; Alexander Aphrodisæus Aristotelicis magis principijs, quam rationi addictus eã corruptibilem sustinere conatus est, Auerroes autem ipsam quidem immortalem, sed (vt infinitum actu euitaret) vnicam eandem esse somniauit; quid mirum, si Galenus ingenuitate & singulari modestia præditus nihil certi de eius natura est ausus affirmare? Desinant itaq; posthac isti obtrectatores Galenum deridere & criminari, & ipsum in lib. 2. de motu musculorum cap. 5. ita loquentem, vel potius aduersus pertinaces & audaces protestantem, audiant: Qui igitur euidentibus fidem abrogat, sensus est expers: qui verò de dubijs prompte pronunciat, temerarius est: qui autem propter obscuritatem,

tem,

tem, quæ in his ineſt, quæ etiam clara ſunt, habet ſuſpecta, de numero eorum eſt, qui dubitationibus oblectantur: porrò, qui non modo ſuſpecta habet, verum etiam, quæ clara ſunt, propter obſcuritatem dubiorum, ſtudet euertere, extremè fatuus eſt. Hęc autem verba conſulto deſcripſi, vt cuidam tacitæ obiectioni pro Galeno reſpondeam, & huic capiti finem imponam. Cum artis Medicæ ſubiecta materia, circa quam verſatur ſanitas, & in ea aut conſeruatur, aut deperdita recuperatur, ſit humanum corpus, huius autem forma ſit anima, forma verò vnum ex naturalibus ipſius principijs exiſtat, aliquis poſſet Galenum carpere, & Medicinæ ſcientiã ab eo traditam infringere, atq; damnare dicendo, quòd principijs rerum ignoratis, earundem paſſiones ab ijsdem principijs fluentes ignorari neceſſe eſt. Sed huic tacitæ obiectioni oculatiſſimus Galenus reſpondet in libro, ſiue fragmento de ſubſtantia facultatum naturalium, dum ſic ait: Quamobrem ſcire, quænam ſit animæ eſſentia, neq; ad morbos curandos, neque ad valetudinem tuendam eſt neceſſarium. Sicut neq; ad Philoſophiam moralem, & ciuilem, quæq; in actione verſatur. Quam concluſionem Galenus ex his, quæ tum paulo ſuprà, tum in libello, qui inſcribitur, Quod animi mores ſequantur corporis temperaturam, dicta fuerãt, optimo iure colligere potuit. Illud enim (dicebat paulo ſuperius) mihi perſpicuum videtur, licet foris anima in hæc corpora commigret, eam tamen eorum obnoxiam eſſe naturis, quæ, vt dixi, ſunt ex quadam elementorum temperatione cõflata. Atq; hinc nullum rei Medicæ inuectum iri detrimentum

puto, quamuis animorum immigratio, remigratioq; ignoretur. Corpus autem, quod animam susceptururum est, esse ad id accommodatum debet: vt, cum magnam in temperamēto alterationem subit, anima protinus exeat: nimirum, vbi in sanguinis euacuationibus, ac refrigerantium medicamentorum potionibus mirum in modum refrigeratur: & cum aer circumfluus vehementer frigidus fit, aut supra modum excalfactus, & in febribus, & flammæ inspiratu, vel medicamentorum nimium calfacientium haustu. Neq; solum animam à corpore secerni videmus, cum illius hoc modo alteretur temperatio, sed etiam cum respiratio omnino sublata sit: siquidem eo quoq; tempore quædam in corpore fit alteratio. At bona corporis temperatione, quæ ei natura tributa est; conseruata, posse ab eo disiungi animam, mihi sanè intelligere non videor. Quocirca, si in memoriam reuocemus eius dicta superius relata, dum dicebat, quod qui propter obscuritatem, quæ in rebus inest, etiam, quæ clara sunt, habet suspecta, dubitationibus delectatur, & qui non modo suspecta habet, verum etiam, quæ clara sunt, propter obscuritatem dubiorum, studet euertere, extremè fatuus est; cogimur Galeni placitis prorsus acquiescere, & pro certo habere, ex animæ essentiæ ignoratione Artem Medicam nullum posse detrimentum pati. Sufficit enim scire, quod anima si non corporis sit temperatura, saltem naturali ipsius temperatura opus habet, vt corpori copuletur.

Animam

Animam non esse spiritum, vt Stoici opinabantur, Galeni auctoritatibus probatur. Cap. 4.

DVo apud Philosophos cognitione, ac scitu obscurissima, ac difficillima sunt: vnum quidem propter supremum & eminentissimum entitatis gradum, qualis est Deus Opt. Max. alterum propter infimum, & ignobilissimum, cuiusmodi est prima Materia. Quocirca à Philosopho per negationem definiuntur, aut potius circũmscribuntur. Satis etiã obscura, & scitu perdifficilis est anima nostra, non quidem propter sui ignobilitatem, sed potius propter insignem sui eminentiam, cum mens humana in substantiarum abstractarum genere collocetur. Quamobrem non erit ab re, si prius illam cognitionem, quam de ipsa per negationem habuit Galenus, proferamus. Et quoniam Stoici ipsam esse corpoream, & de genere tenuissimę, ac proinde spirituosæ substantiæ arbitrati sunt, ideo Galenus pluribus in locis eorum sententiam refellit. Vnum porrò Galeni locum superius retulimus ex quinto videlicet simpl. pharmacorum, cap. 9. dum hæc scribebat: Verum nihil prohibet (inquiẽs) sanguineam substantiam, simulque seminalem vnà cum spiritu calidum inaudire innatum. Ac Stoici quidem hunc ipsum spiritum animę esse substantiam putãt. Quanquam nos iam ante spiritum innatum, etiãsi non sit animæ essentia, saltem primum eius instrumentum esse in lib. de Hipp. & Platon. placitis demonstrauimus. In quibus Galeni verbis, ne iunior aliquis decipiatur, debet animaduertere, Galenũ,

dum

dum ait, sanguineam, & seminalem substantiã vnà cum spiritu posse esse calidum innatum, accipere huiuscemodi innatum calidum in concreto, & subinde substantiam quandam corpoream calore affectã intelligere. Quoniam, vt post apparebit, si accipiamus calorem, siue caliditatem innatam in abstracto, quæ non thermi, sed thermasiæ nomine à Græcis dicitur, huiuscemodi calor in abstracto sumptus à Galeno animæ substantia statuitur; cuius vehiculum; & primum instrumentum ipsum spiritum esse voluit. Sed ad alium locum accedo, quem idem Galenus in citata adduxit auctoritate. Est autem in lib. 7. de Hippoc. & Platon. decretis, cap. 3. post medium, in quo hæc ad vnguem scripta reliquit: Rectius verò erit (inquit ille) si existimemus in ipso cerebri corpore habitaculum animę esse, qualiscunq; substantia eius fuerit. non enim hoc consideramus, sed primum ipsius instrumentnm ad sensus omnes, & item ad motus, qui ex appetitione fiunt, hunc esse spiritum: vnde fiat, vt exinanitus animal minimè vita priuet, sed stupidum, sensu, motuq; erepto, tantisper reddat, quoad rursus collectus restituatur. At si spiritus animæ substantia esset, fieri nullo modo posset, quin simul atq; ipse esset euacuatus, continuò quoq; animal interiret. Cõsonum igitur rationi est, spiritum hunc in cerebri ventriculis oriri, atq; idcirco eò coire & arteriarũ, & venarum non paruam multitudinem, ex quibus scilicet plexus illi existunt; qui choroides à secundarum similitudine vocantur. Atq; ipsum primum esse, vt dixi, animæ instrumentum. Magis quoq; in eam sententiam inducereris, vt crederes spiritũ

hunc

hunc ibi generari vasis, ac præcipuè arterijs ipsum in cerebri cauas expirantibus, si reticularem contextum animaduerteres: qui ex ijs, quæ in caput pertinent, arterijs conficitur, cum primum caluariam transgressæ ad ipsam cerebri basim concurrerint. Ibi enim natura locum minimè angustum, quasi cauernulam quandam à crassiore cerebri membrana circundatam, reticulari illi texturæ præparauit. In quem locum ab arterijs, quæ soporariæ dicũtur, non parua quędam portio, vno scilicet ex vtraque parte ramo promisso, peruenit. Quæ postea in multiplicem sobolem discissæ retis formam cancellatis fibris conficiunt: neq; eam simplicem, sed prætterquam quòd connectuntur inter sese omnes, ac coeunt, multæ sunt miro quodam modo sibi mutua perplexitate superiectæ: & rursus ex hac textura tã magnum arteriarum par exoriens, quantum id erat, quod a principio è soporarijs processerat, in cerebrum ingreditur, & cum alias eius partes, tum ventriculorum ambages multis ramulorum implicationibus innectit. Spiritus igitur, qui in arterijs continetur, vitalis, & est, & dicitur: qui in cerebro animalis, non quod substantia animę sit; sed quod primum est eius ibi habitantis instrumentum; qualiscunq; substantia postea fuerit; sicut verò vitalis spiritus & in arterijs & in corde gignitur, materia generationis ex inspiratione, & humorum exhalatione sumpta: ita animalis ex vitali perfectiùs concocto oritur. Quippe cum oporteret ipsum exquisitissimam omnium immutationem adipisci. Nam si natura & semen & lac cum velit exactè conficere, quamuis animali spiritu sint potestate longè inferiora,

riora, diuturnam illis in instrumentis concoctionis moram macchinata est: & idcirco semini, testibus annexum anfractum, lacti vasorum ad mammas tendentium longinquitatem præparauit; merito etiam hic cum in cerebro è vitali spiritu animalem efficere studeat, recticularem hunc contextum, quasi varium quendam labyrinthum iuxta cerebrum fabricauit. Hoc itaq; idem membrorum ipsa fabrica præ se ferente, didicimus spiritum hunc animalem neq; substantiam animæ, neq; domiciliũ eius, sed primum tantum instrumentum esse: eò quòd, cum ex vulneratione fuerit euacuatus, ilicò animal quasi mortuum collabitur: cum iterum colligitur, reuiuiscit. Hanc Galeni sententiam quadantenus prolixam, data opera per singula verba transcribere operæ pretium duxi, & quia maximi sunt momenti ad id, quòd intendimus, inferius probādum; & quia nonnulla continent, quę declaratione digna sunt; & nisi rectius intelligantur, non exiguas ambiguitates parerent. Primum, quod noto, illud est, quod dum ait in cerebri corpore animæ habitaculum esse, id non de quacunq; animę parte audire debemus, sed de ea solum, quę sensus & motus principium est, aut etiam ratiocinandi facultatem habet. Nam de irascibili & concupiscibili animæ parte nullam vnquam dubitationem habuit Galenus, quin in corde & iecore tanquam in suis principijs subsistant. Secundo dum ipse ait, huius animę primum instrumentum ad sensus omnes, item ad motus, qui ex appetitione fiunt, esse spiritum animalē ab eo vocatum, & hunc eundem spiritum non posse esse animæ substantiam, vt Stoici arbitrati sunt, eò
quia

quia ſpiritus hic exinanitus animal ſolummodo ſen ſu & motu priuat, non tamen interimit, & ex toto vita priuat, quia ſi rurſus ſpiritus hic reſarciatur, ſenſus & motus redit, & animal, quod ſtupidum erat, veluti reuiuiſcit, hoc, inquam, argumentum efficaciſſimum eſt ad demonſtrandum contra Stoicos, animalem ſpiritum non eſſe animæ ſubſtantiam. Sed dum in fine ait hunc eundem ſpiritum non poſſe eſſe eiuſdem animę domicilium, ſed ſolum primum ipſius inſtrumentum, eò quòd, cum ex vulneratione fuerit euacuatus, ilicò animal quaſi mortuū collabitur, cum iterum talis ſpiritus colligitur, reuiuiſcit, huiuſcemodi enunciatum de animali ſpiritu, ac potiſſimum de illo, qui in cerebri ventricnlis continetur, intelligi debet. Fieri ſiquidem poteſt, vt hoc exinanito atq; deperdito, ille, qui per cerebri ſubſtantiam, & poroſitates diſſeminatus eſt, ſuperſtes remaneat, ſed tamen anima ſenſus, & motus munere fungi non poſſit, eò quia & ſpinalis medullę principium, & ſenſoria organa tāquam riuuli, à ſpiritu, qui in cerebri ventriculis ſubſiſtit, irrigari, aut etiā irradiari non poſſint. Quinimò etiamſi ille, qui per cerebri ſubſtantiam diſſeminatur, vnà cum eo, qui in eius cauitatibus eſt, depereat, attamen ſi ille ſpiritus, qui in cerebri arterijs exiſtit (& vitalis, non autem animalis, à Galeno vocatur) ſeruetur, vt clarius poſt oſtendemus, animal poteſt non interire, & ad priſtinas animales functiones obeundas redire. Quocirca non debet quis arbitrari ex hac Galeni auctoritate animæ domicilium, ac primam ſedem, ſiue ſubiectum non poſſe eſſe ſpiritum cuiuſcunq; ſit generis: quin etiamſi ſpiritus, & ſubſtan-

tia impetens viuere non dicatur, sed partes ipsæ cótinentes ac solidæ sint illę, quæ vita frui dicuntur, & animatę sunt: Nihilominus anima sui natura incorporea huic nostro crasso corpori vniri & alligari non potest, nisi tenuissima corporea substantia, quales spiritus sunt, mediante; & subinde primum animæ contubernium, domicilium, atq; subiectum sunt spiritus. Sed animales dicti sunt primũ animę sentientis organum, sine quo ipsa operari nõ valet; vitales verò, qui in corde gignuntur, & conseruantur, & in eius substantia fixi sunt, & ab eo per totum corpus distribuuntur, & influentem calorem secum vehunt, sunt animæ prima radix ac fundamentum, in quo principaliter subsistit, quemadmodum infrà in proprio de innato calore sermone aperiemus: Et ad hoc, vt animal in vita seruetur, sufficit, vt ij superstites maneant. Tertia animaduersio (cui, Octaui præstantissime, vt animum intendas, rogo) est circa illa Galeni verba, dum ait, quòd animalis spiritus ex vitali perfectiùs concocto oritur. In quibus per concoctionem non debemus accipere propriè dictam concoctionem, sed potius metaphoricam. Quod probo, quia spiritus animalis ex vitali per vlteriorem concoctionem gigni nequaquam potest, siue per concoctionem eam, quæ talis maximè propriè dicitur, siue eam, quæ magis propriè assimilatio vocatur. In propria enim obeunda concoctione tria de necessitate concurrunt, nimirum, calor vegetior, tempus idoneum, & incrassatio, quia ex Philosopho 4. Meteor. quæ naturaliter concoquuntur, semper crassiora fiunt. Assimilatio verò nedum tem-

pus

pus aliquod idoneum, & quandam incraſſationem ſiue maiorem conſiſtentiam exigit, verum etiam transſmutationem in ſpeciem ipſius, quod nutritur. Sed dum in cerebro ex vitali ſpiritu, qui in eius arterijs continebatur, animalis fit, nulla prorſus incraſſatio concurrit, ſed potius ſeparatio aereæ à ſanguinea ſubſtantia, quæ fit merito illius admirabilis reticularis contextus arteriarum, quæ per oſcilla quædam tenuiſſima in cerebri ventriculos ſpirituoſam tantum ſubſtantiam expirant. Neque calor adeſt vegetior, & intenſior, cum arteriæ ipſę, & materia quæ in illis continetur, cerebri ſubſtantia ſit longè calidior. Tempus autem diuturnum ac congruum ad eiuſmodi concoctionem non eſſe neceſſarium, ſed quàm citiſſimè, & ex tempore fere vitales in animales ſpiritus migrare ex eo poteſt demõſtrari, quòd in ſyncope animalibus vocatis ſpiritibus diſſipatis, atq; corruptis, ſtatim animal concidit, ac ſenſu, & motu priuatur; ſed dum à ſyncope reuocatur, ilico ſenſus, ac motus reſtituitur, quia ilicò quoque deperditus animalis ſpiritus reſtauratur, arterijs nimirum ipſum quàm citiſſimè cerebro, & eius ventriculis ſubminiſtrantibus. Quod ſi contentioſus aliquis diceret in ſyncope animales ſpiritus in cerebri ſubſtantia, ac ſinubus illæſum remanere, ſed animæ officia præſtare non poſſe, quia calor innatus cerebri aboletur, eò quia ſpiritus, & calor, qui in cerebri arterijs erat, ſyncopis vi ad cor retrahitur, & cerebrum deſerit, innatus enim calor in quacunq; animæ operatione perneceſſarius exiſtit. & hoc efficaciùs probaret ex eo, quod in lipothymia, propter minorem in cor ſpirituum vitalium, & innati calo-

ris retractionem, ægrotantes motum quidem deper dunt ac sensum magna ex parte; sed tamen loquũn tur, & omnium, quę contingunt, recordantur: in syncope verò deperditur omnino sensus & motus propter maiorem caloris in cor retractionem, sed ni hilominus casus, & accessionis reminiscuntur, quod est signum euidens animales spiritus per cerebri sub stantiam disseminatos seruari. Quod si quis, in-qnam, ita argumentaretur, huic statim obijcerē ac cessionem epilepticam: In qua propter ventriculo-rum obstructionem, & propter cerebri concussionē & motum pręter naturam ob irritationem à praua materiæ qualitatę factam, omnis animalis spiritus, siue in finibus, siue in porositatibus cerebri subsi-stat, vndequaq; corrumpitur, suffocatur & euane-scit, quod colligitur ex eo, quod non solũ quęcunq; sentiens & mouens facultas omnino aboletur, ve-rum etiam memoria ex toto labefactatur, vt acces-sionis nullo modo reminiscantur: Nihilominus quamprimum materia, quæ obstructionis ventri-culorum & irritationis expultricis cerebri auctor est, extra cerebri ventriculos per os & nares vel a-lias partes expellitur, tum primum sensus & motus redit, & animal reuiuiscit, quod signum est indubi-tatum spiritus animales ex vitalibus ferè momento temporis resarciri. Vnde non est huiuscemodi ve-ra concoctio, & spiritus animalis vera creatio, sed potius quædam separatio à materia sanguinea, & eorundem spirituum vitalium contemperatio, quæ fit ab ipsius cerebri frigidiori temperamento. Et in hoc sensu intelligendus est Philosophus, dum de vsu cerebri loquens, ipsum ait à natura fuisse pro-

creatum,

creatum, vt insignem cordis feruorem contemperaret. quod quidem cerebrum cum à corde adeo distet, id non potest præstare, nisi spiritus, qui in corde omnes gignuntur, contemperando. Nam nimius eorum spirituum feruor, sensum, cognitionẽ, imaginationem, & alias principes functiones, atq; prudentiam, peruertere, ac deprauare, & impedire facillimè potest, quemadmodum in ebrijs, phreniticis, atq; maniacis, ob eximium, & intensum calorem fieri videmus. Quæ quidem rationes efficacissimę sunt ad probandum, cuiuscunq; animæ radicem, atq; principium esse cor, in quo spiritus vniuersus procreatur, & in eo etiam sentiens facultas virtualiter continetur, etiam si cerebro, & spiritibus contemperatis mediantibus, animales vocatas, ac rectrices functiones expromat, vti in primo libro nostro de naturali & morbosa cordis constitutione fusiùs demonstrauimus. Non esse autem huiusmodi concoctionem illam quam assimilationem vocant, apertissimum est, quia cerebrum ex sanguine sibi à iecore per venas numerosissimas demandato, arteriosi sanguinis calore mediante, nutritur; non autẽ ex spiritu animali dicto, qui in cerebri substantiam nullatenus assimilatur. Quocirca Galeni exemplũ de sanguinis in lactis, & seminis naturam in vasis seminalibus præparantibus dictis, & in venis, quæ ad mammas tendunt, conuerso, locum non habet; quia hæc vera assimilatio est, & à vasis seminalibus, & testium substantia, & à mammarum glandulis, quæ omnia alba sunt, perficitur. Quare tempus est, vt ad alias Galeni auctoritates pergamus. Quarum vnam habemus 3. de locis affect. cap. 7. in qua

eius

eius, quam nunc examinauimus, meminit his verbis: Ex his igitur omnibus rationi consentaneum est in cerebro hanc affectionem fieri (de epilepsia ei erat sermo) impediente humore animalem spiritũ, qui in ventriculis eius continetur, quo minus possit exire. Porrò quamobrem hic spiritus vocetur animalis, aut quæ sit eius potentia, in eis commentarijs, quos de Hippocratis Platonisq; placitis scripsimus, iam demonstratum est. Sanè quum ea, quæ per dissectiones apparere solent, accuratè considera remus, rationi consonum videbatur animam in cerebri corpore sedem obtinere, atq; in ipso & rationis vim, & sensibilium imaginum memoriam residere: ac primum ipsius instrumentum tum in sensibilibus actionibus omnibus, tum in his, quę à cõsilio & voluntate prodeunt, spiritum esse, qui in ipsius ventriculis, maximèq; in postremo continetur: quamuis non contemnendus sit medius ventriculus, perinde quasi non nobilissimus sit: Multis enim rationibus inducimur, vt hunc amplectamur, duos verò anteriores deseramus. Ex quibus verbis monemur, vti superiùs quoq; dictum est, animalem spiritum in ventriculis cerebri contentum, esse quidem animæ ratiocinantis cognoscentis, atq; mouentis primum instrumentum, non tamen esse huius animę sedem ac domicilium, cum ipsa potius in cerebri substantia, siue porositatibus, aut in spiritibus inibi conclusis, tanquam in proprio, ac peculiari subiecto ex Galeni decretis subsistat. Idem pariter in sequenti huius operis libro cap. 2. versus finẽ, de Caro siue alto sopore sermonem habens, Quinetiam, inquit, ad vehementes dolores hic affectus

sequitur,

ſequitur, concidente ſcil. robore ſpiritus animalis. Voco autem ſic (vt ſcitis) id, quod eſt in cerebri vẽtriculis primum animæ inſtrumentum, ad ſenſum & motum in vniuerſas corporis partes tranſmittendos. Ex quo loco non leue argumentum deſumimus, ſenſum, & motum per neruos & cerebri propagines in totum corpus deferri poſſe per quandam veluti irradiationem, cum velit ſpiritum, qui in cerebri ventriculis ſubſiſtit, eſſe animæ huius primũ inſtrumentum, & præter opticos nuncupatos neruos, per quos ſpiritus animalis ſenſibiliter in oculos defertur, & perforati ſunt, reliqui omnes nerui meatu, quoad ſenſum, careant. Eandem ſententiam protulit Galenus in lib. de renum affectuum dignotione, & medicatione, cap. 3. circa medium, dum apertiſſimè ſcriptum reliquit in omni motione naturali ſanguinem, & ſpiritum concurrere, quia ſunt naturæ vehicula. Quod ſi vehicula ſunt, ergo ſpiritus non erit natura, nec animæ ſubſtantia. Licet autem liber hic à quibusdam Galeni ſpurius cenſeatur, graui tamen alicui auctori adſcribi poteſt, & tũ hanc, tum alias ſententias Galeno dignas complectitur. Hæc ſunt potiora loca, in quibus Galenus apertè ſtatuit, ſpiritum ipſum animę eſſentiam, ſiue ſubſtantiam non eſſe. Alia, quę minoris momenti ſunt, & ad hæc referuntur, vel ab iſtis non diſcrepant, conſultò prætermitto.

Animam temperamentum eſſe quamplurimis Galeni, ac veterum auctoritatibus, & rõnibus doceri. C. 5.

CVm hucusq; ex Galeni placitis vel nullum, vel prorſus exiguum lumen penes animæ ſubſtantiam

tiam consequuti ſimus, nunc remanet, vt ad eius rationes, ac themata transeamus, ex quibus ſi non rationis participis, ſaltem ſentientis, ac nutrientis animæ ſubſtantia aliquatenus ſplendeſcit, ac effulgere incipit. Is igitur in eo libro, in quo probatur animi mores corporis temperamentum ſequi, apertiſſimè affirmat, eſſentiam animæ quatuor primarum qualitatum, aut etiam quatuor primorum corporũ temperaturam eſſe ac dici poſſe. Quod quidem decretum non de rationis participe, ſed de ea hominis animæ parte, quæ brutis ac reliquis animatis corporibus communis eſt, verificari clariſſimum eſſe arbitror, quia de rationali animæ ſpecie loquens ſemper proteſtatus eſt, ſe eius quidditatem & eſsentiam ignorare. Tempus eſt itaque, vt ipſum 3. cap. huius libri ita loquentem attentius audiamus. Quare de ijs animę partibus (inquit) quæ in corde, iecoreq; ſunt, quas in morte corrumpi, Platoni mecum conuenit, primum conſideremus. Sed cum ambo hæc viſcera propriam ſint nacta ſubſtãtiam, quænam ea accuratè ſit, nondum peruestigemus; ſed ad memoriam reuocemus cõmunem omnium corporum conſtitutionem. Eam autem è duobus eſſe conflatam principijs oſtenſum eſt, ex materia ſcilicet, & forma, quæ cogitatione quidẽ ſit expers qualitatum, ſed tamen quatuor qualitatum, caliditatis, frigiditatis, humiditatis, ac ſiccitatis, temperiem in ſe habeat: è quibus ſanè qualitatibus æs, ferrum, aurum, caro, nerui, cartilago, pinguedo, omnia denique, quæ Plato primogenita, Ariſtoteles è particulis inter ſe ſimilibus conflata nominat, efficiuntur. Quocirca, ſi Ariſtoteles ipſe hanc ſpeciem

ciem corporis esse animam dicit, quęrendum est ab eo, aut ab ijs, qui eundem sunt secuti, vtrum speciei nomine formam dictam esse existimare debeamus, vt in organicis corporibus cernimus: an alterum naturalium corporum principium, à quo conditum corpus sit; quòd sensus iudicio ex similibus inter se particulis constat, simplexq; est, neq; organicam compositionem habet: enimuerò alterum naturalium corporum principium respondere, dareq; cogentur: siquidem horum in primis sunt actiones: id quod nos alijs in locis probauimus, & nunc, si opus erit, repetemus. Atqui si omnia huiusmodi corpora ex materia, formaq; constant, vultq; Aristoteles cum quatuor qualitates naturales in materia proueniunt, corpoream temperaturam ex eis effici, certè ipsam formam statui necesse est. Quamobrem animæ essentia erit quodammodo temperatura quatuor siue qualitatum dicas, caliditatis, frigiditatis, humiditatis, & siccitatis; siue corporum, humidi, calidi, frigidi, ac sicci. Facultates autem ex animę substantia sequi, si inde quoq; actiones proueniunt, probare conuenit. Animam verò affici nedum ex caliditate, & frigiditate, verum etiam ex humiditate, & siccitate, ipsius etiam Platonis testimonio in fine huius capitis, & in subsequentis principio, his verbis, & argumentis probat. Theognis quoq; (ait ille) vinum liberalius haustum esse malum affirmabat: si quis scite id bibat, non malũ, sed bonum esse. Ac reuera si moderatè bibas, concoctionem, distributionem, sanguinis ortum, atque alimentum adiuuabit. Sed & animus noster ab eo & mitior, & ardentior redditur, nimirum beneficio

F tempe-

temperaturæ corporis, quam rurſus adiuuantibus humoribus efficit, corporis autem temperatura non ſolum, vt dixi, animæ actiones immutat, ſed eam quoq; poteſt à corpore ſeiungere. Nam quid aliud dicat is, qui eum, qui refrigerantia calfacientiaq; medicamenta ſumpſerit, ilico ſublatum videat? Huius etiam generis ſunt venena ferarum. Itaque videmus, quem aſpis momorderit, repente mori nõ ſecus, quam qui cicutam hauſerit: quaſi venenum quoq; illius refrigeret. Quare neceſſe eſt, vt qui ſtatuunt animam habere propriam eſſentiam, eam corporis temperaturis ſeruire fateatur: ſiquidem in eis vis eſt, vt cogant eam deſipere, memoriaq; & intelligentia priuent, efficiántq; vt triſtiora, ignauiora, timidioraque, vt in melancholijs apparet, moliatur: quorum ſanè contraria habet is, qui moderatè vinum bibit. Subdit autem in principio ſequentis capitis, volens probare etiam propter paſſiuas qualitates animam immutari: An igitur animæ facultates à temperatura in calore & frigore immutari poſſunt, in ſiccitate verò atq; humore pati nihil poſſunt? Et tamen huius rei & in medicamentis, & in quotidiano victu habemus documenta complura, quę percurram omnia, ijs prius in memoriam reuocatis, quæ ſcripta reliquit Plato, cum animam ab humiditate corporea in obliuionem induci vult eorum, quæ prius, quam in corpore eſſet incluſa cognouiſſet. Loquitur enim his fere verbis in Timæo, in illo loco, vbi ait, Deos fabricatos eſſe homines, cum immortalem animam in corpus influens, atque effluens indidiſſent. Quo quidem in loco clarum eſt, ſubſtantiæ infantium humiditatem

tem innui. Atque deinceps hæc addit: Circuitus autem ipsi in profundum flumen neque tenebant, neq; tenebantur; sed vi ferebantur, atq; ferebant. Itemq; paulo post: Cum enim fluctus inundans, ac defluens largus esset, vnde nutrimentum suppeditabatur, multò etiam maior à cuiusq; affectibus afferebatur turbatio. Sed ea rursus percurramus, vt cum post ait: Horum ergo affectuum causa ab initio, cum anima corporis mortalis vinculis includitur, amens fit, cum verò incrementi, alimentiq; riuus parciùs fluit, ac circuitus tranquilliore motu iter suum conficiunt, progressuq; temporis sedatiores fiunt, tum in figuram naturę suæ congruam restituuntur, & singulorum circulorum directæ conuersiones, eiusdem & alterius naturam rectè discernunt, hominemq; ita institutum prudentē reddunt. Cum ait: Cum verò incrementi, alimentiq; riuus parciùs fluit, significat, humiditatem, quam prius esse dementiæ animæ causam affirmauit: perinde ac siccitas ad prudentiam, humiditas ad dementiā animam perducat. Sed si humiditas dementiam, siccitas prudentiam parit, certè summa siccitas summam prudentiam gignet; mista humiditati tantū perfectę prudentię detrahet, quantum humiditatis assumpserit. Et quod igitur tale erit animalis corpus tam expers humiditatis, quam corpora syderum? Nullum: neq; etiam prope accedet. Ita fit, vt ne mortalis quidem animalis corpus ad summā prudentiam propè accedat; sed omne, vt humiditatis, sic etiam dementiæ particeps est. Itaq; cum animi pars, quæ rationis est particeps, neq; vniformē substantiam obtinet, vna cum temperatura corpo-

ris commutatur, quidnam mortalem ipsius partem pati existimemus? an videlicet corpori penitus eam seruire? an pręstat dicere, eam non seruire, sed partem animę mortalem corporis esse temperaturam? Id enim iam ostendimus. Quare cordis temperatura iracunda pars animæ est; iecoris ea, quam Plato concupiscentem, Aristoteles altricem, naturalĕq; nominat. Postea idem probat Andronici auctoritate, dum addit: Andronicum autem Peripateticum, qui vt vir liber, & ingenuus, sine circuitione animæ essentiam, quænam esset, omnino pronunciare ausus est, summis orno laudibus, eiusq; approbo sententiam: Eum enim in alijs etiam plerisq; talem inuenio: Cum verò ait, eam esse temperaturam, aut facultatem temperaturam consequentem, quod addidit facultatem reprehendo. siquidem anima facultates multas habet: quippe quæ essentia quædam sit, vt rectè statuit Aristoteles, qui eam essentiam, quæ ex forma est, esse animā enunciauit (etiamsi materia quoque essentiæ nomine gaudeat) cum nihil aliud præter temperaturam, vt paulo ante ostensum est, dici posse videatur. Tādem ex Stoicorum sententia idem ostendit, dum statim subdit: Opinio quoq; Stoicorum eodem essentiæ genere continetur. Volunt enim animam esse spiritum quendam non secus, quam naturam: Naturæ tamen spiritum & humidiorem, & frigidiorē; animę ficciorem & calidiorem statuunt. Ita fit, vt hic spiritus sit materia quædam animę propria; forma autem, quæ ex materia est, aut temperatura cōsistit, cum aerea, igneaq; essentia cōuenientem modum seruat. Quare (concludit ipse) animæ essen-

tiam

tiam ex quadam aeris, ignisque temperatura de sen tentia Stoicorum conflari cognouisti. Infrà quoq; cap. 6. ex Platonis pariter sententia probat Galenus, animam à prauo corporis humore lędi. Cum enim (dicebat Plato) acida, salsaq; pituita, aut amari, biliosiq; succi per corpus vagantes, respirationes extrinsecus non consequuntur, sed intrò pertracti ipsorum halitum intimis animæ valde permiscentes infundunt, tum omnis generis morbos, tum grauiores & leuiores, tum plures & pauciores animæ inuehunt: quibus ad tres eius sedes perductis, quemcunque singuli locum obsederint, ibi varias difficultates, & quascunque animi molestias, ac sæpe etiam audacias, timiditatesq;, ac pręterea obliuiones, & hebetudines pariunt. In qua oratione animam in mala quædam incidere propter vitiatos corporis humores planè fatetur. Sicut rursum ex habitu corporis eã morbo affici declarat his verbis: Qui multum fluidumq; circa medullam semen habet, quasi arbor, cum nimia fructuum copia grauidata luxuriat, is multis passim affectus doloribus, & in cupiditatibus, earumque fœtibus, multiplici iucunditate persusus, plurima vitæ suæ parte præ maximis voluptatibus, doloribusq; insanit; animumq; ex corporis contagione & ægrum, & insipientem obtinet, nõ vt æger, sed pro voluntate sua, vt liber, falso existimatur; re autẽ vera rerum Venerearum intemperantia magna ex parte propter habitum vnius generis ossium, vi raritatis, fluidum, ac madidum in corpore, animi morbus effecta est. Mox in capite statim sequenti animam immutari, & affici pro vario corporis temperamento ipsius quoq; Aristotelis sen-

ſententia confirmat. Scripſit enim (ait Galenus) in 2. de part. anim. ad hunc fere modum: Sanguis autem craſſior, & calidior maius robur efficit: tenuior verò ac frigidior maiorem vim ſentiendi. Eadem differentia in ijs eſt, quę ſanguini proportione reſpondent. Quocirca apes, & alię pleręq; huiuſmodi animantes ſunt multis ſanguine prædit's animantibus natura prudentiores. Inter eas verò, quæ ſanguine præditæ ſunt, prudentia pręſtant, quæ frigidum, tenuemque ſanguinem habent, ijs, quæ contrà affectę ſunt. Quæ verò calidum, tenuem, ſyncerumq; habent, optimæ cenſentur. quippe quæ & fortitudine, & prudentia multum valeant. Quæ res facit, vt ita quoq; pars corporis ſuperior cum inferiore, fœmina cum viro, dextra cum eiuſdem corporis ſiniſtra diſſideat. Ex quibus verbis poteſt, qui velit, perſpicere, animi facultates ex natura ſanguinis ſequi, eſſe ab Ariſtotele pronunciatum. Quã etiam ſententiam in eodem libro extulit tum alijs verbis, tum ijs, in quibus ſic concludit: Quam ob rem quædam ſanguine vacantes animantes prudentia præſtant ſanguineis quibusdam, quo in numero ſunt apes, formicæ, & ſi quid aliud eſt generis eiuſdem. Quorum autem aqueus ſanguis eſt, timidiora ſunt: timor enim refrigerat. Quæ igitur iſtiuſmodi temperaturam in corde habent, his perturbationibus facilius corripiuntur. ſiquidem aqua frigore condenſatur. Quocirca reliqua exanguia ſunt ſanguineis (vt vno verbo complectar) timidiora. ac metu perterrita motu non cientur, excrementaq; emittunt, ac pleraq; colores ſuos mutant. At quæ fibras admodum multas, craſſasq; habent, ea terre-

na

na magis, iracundaq; sunt natura; ac proinde furibunda: iracundia autem calorem affert. Mox autẽ clarè subdit: Quamobrem tauri & apri iracundi, furibundiq; sunt: siquidem eorum sanguis est fibrarum plenissimus; ac taurinus quidẽ celerrimè omnium coit. Quæ cum dixisset, eis hæc subiunxit: Est aũt (inquit) consentaneũ, vt sanguinea natura causa sit, cur multa adueniant animantibus tum ad mores, tum sensus pertinentia: est enim totius corporis materia: quandoquidem alimentum materia est; sanguis vltimum alimentum censetur. Magnã verò affert differentiam, si calidus & frigidus, & tenuis & crassus, & purus, & turbidus sit. Alia quoq; ad eandem faciendam fidem elici possunt (vt ipse ait) ex eodem Aristotele tum alibi, tum potissimũ ex traditis ab Aristotele de ijs signis, quæ, quia naturam, moresq; indicant, physiognomica nominãtur. Sed demum in octauo capite, immediatè præallegato subsequenti docet Galenus, animam à corporis temperatura immutari ipsius etiã Diuini Hippocratis testimonio, ita scribens: Hæc sunt, quę in primo de historia animalium litterarum memoriæ Aristoteles consignauit; quorum sententias hoc loco recitarem, nisi frustra tempus vellem conterere, cum Hippocratem diuinum hominem, & Medicorum, Philosophorumq; omnium Principem huius contemplationis auctorem, & testem adire nobis concedatur. Hippocrates igitur in libro de aere, locis, & aquis, cum de vrbibus ad Septentrionem spectantibus loqueretur, scripsit his ferè verbis: tum moribus potius feris, quam mansuetis esse: de his verò, quæ ad Solem Orientem sitæ sunt, agens, inquit,

quit, clara etiam voce prȩditi homines sunt, & ad iram, & ad intelligentiam promptiores, quam qui Aquilonalem plagam incolunt. Deinde in longū producto de ijs sermone, sic fermè Asiam describit: Atque Asiam plurimum ab Europa differre in natura earum omnium, quæ è terra exoriuntur, itemq; hominum, mea sententia est: Siquidē in Asia multò pulchriora, maioraq; nascuntur omnia: Regio quoq; est māsuetior, genusq; hominum benignius. In causa huius rei est anni temporum temperatura. Ait autem temperaturam non modo aliorum, quæ percurrit, sed morum etiam causam esse. Eum verò voluisse temperaturam anni temporum aliā ab alia in calore, frigore, humore, ac siccitate differre, in libro de elementis à nobis scripto, in libro de natura hominis, & alijs eius operibus comprobauimus. Sed post verba commemorata, idem docens, de regione temperata, à qua hominum quoq; mores ait reddi temperatos, ita scribit: Ea enim neq; admodum à calore exoritur, neq; à squalore, & inopia aquarum resiccatur, neq; à frigore læditur. Deinceps verò subiungit: Ceterum fortitudinem, ærumnarum, laborisq; perpessionem, & iracundiam his naturis innasci, non est verisimile: sicut neque eiusdem, neque alterius generis perpetui amatores sunt: sed in ijs voluptas dominatur. Post addit: Ceterum, quod ad pusillum animum, effœminatumq; pertinét, vt Asiani sint præ Europȩ populis maximè imbelles, moribusq; mansuetioribus, anni tempora, quæ non magnas mutationes neq; in frigore, neq; in calore faciunt, sed æqualia permanét, potissimum in causa sunt. Paulo etiam post hæc

ait: Iam ipsos quoq; Asiaticos inter se differre comperies, quod præstantiores alij sint, viliores alij: cui rei causa est temporum, vt ante diximus, mutatio. Inferius etiam, cum agit de his, qui Europã incolunt, hæc scribit: Hi enim populi feri, à societate abhorrentes, atq; animosi sunt natura. Postea sic ait: Quicunq; igitur montanã regionem, asperam, altam, aquosamq; inhabitant, & apud quos temporum mutationes fiunt, eos magnitudine formæ præstare ceteris, esseq; ad labores perferendos, & ad fortitudinem comparatos, atq; etiam à natura agrestes, ferosq; procreatos, probabile est. Qui verò concauis in locis atq; æstuosis, & vbi pratorũ sit copia, habitant, ventosq; calidos plus, quam frigidos sentiunt, & calidis aquis vtuntur, ij magni esse non possunt, neq; proceri, sed eis natura comparatum est, vt ampli, carnosi, & pilis nigris sint, imò verò ipsi nigri potius quam albi, minusq; pituitosi, quam biliosi existant. Ceterum, vt fortes, ęrumnarumq; & laboris patientes sint, non ita est eis à natura tributum, sed lex accedens id efficit. Legem verò nominauit in quaq; regione vitę traductionẽ, quam etiam victum, & institutionem, & patriam consuetudinem appellamus. Et, vt alia eius dicta prætereamus, Inuenies enim, subdit, fere & formas & mores hominum ex natura regionis esse consequentes. Quinimò alium Hippocratis locum eiusdem libri proposuit Galenus, in quo apertissimè declarauit, non solum mores ex temperaturis sequi tẽporum, sed etiam mentis stupiditatem, sicuti etiam acumen. Et in 6. de morb. vulgar. scribebat, quod quibus arteria in cubito vehementissimum motum

De naturali cerebri constitutione & quæ principaliter, & quæ secundario ad actiones animales in eo edendas concurrunt. Cap. 6.

HÆc sunt, Clarissime compater, potiora Galeni loca, & quia pulchriora sunt, à me data opera ad verbum descripta, necnon firmiores comprobationes, & argumenta, quibus probare nititur, animæ substantiam corporis ipsius temperamentum esse. Potuissem proculdubio & alias ipsius auctoritates in medium afferre, ac potissimum ea, quæ memoriç posteritatis reliquit in libro, siue fragmento illo, quod de substantia naturalium facultatum inscribitur, & ex omnium sententia est Galeni legitimum opus: sed quia alia loca easdem continent sententias, quas superius exaraui, & illud fragmentum est quoddam veluti compendium, siue breuis epilogus eorum, quæ fusa oratione in proprio libro (nimirum, quod animi mores temperaturam corporis insequuntur) explicauerat; idcirco, alijs omnibus posthabitis, hæc sola proferre operępretium arbitratus sum. Verum quoniam sæpiùs tum in hoc eodem libro, in quo circa huiuscemodi argumentum principaliter versatur, tum alibi, tum potissimum in tertio illius percelebris voluminis de locis affectis, capite septimo de hac eadem re dubiè ac disiũctim loqui videtur, statuitq; animam esse aut temperamentum actiuarum qualitatum, aut ab ipsarũ temperamento alterari, ac nonnunquam scribit, animæ essentiam aut esse temperaturam, aut rem quandam temperaturam consequentam, & interdũ

clarius

clarius ab ipso temperamento eam oriri affirmat. Ea propter nostrum munus esse debet, vt quæ ab ipso scripta sunt, breuibus, quò fieri possit, aperiamus, & expendamus, & tandem, quid in hac contẽplatione, quę pulcherrima est, sentiendum sit, proferamus. Ex descriptis itaq; superiori capite Galeni auctoritatibus, & rationibus, clarè constat, ipsũ, ad probandnm, animæ substantiam temperamentum esse, triplici ratione vsum fuisse, quarum prima à priori, vt sic loquar, procedit; secunda à posteriori proficiscitur, & ab ipsarum animæ proprietatum ducitur alteratione, quæ in diuersis temperamentorum speciebus, ac morbis eadem temperamẽta labefactantibus, atq; lędentibus, animaduertitur. Tertia maximorum Philosophorum, ac Medicorum, ac potissimum Diuini Hippocratis, Platonis, Aristotelis, Andronici Peripatetici, & Stoicorum auctoritatibus innititur. Porro circa secundã & tertiam probationem nil aliud dicemus, cum ipsemet longiori, & claro admodum discursu vtatur, & tandem concludat tum in citato libro, tum sexta aphorism. com. 23. tum 3. de locis affect. cap. 7. nõ solum humores ipsos, verum etiam corporis temperaturam animæ actiones alterare summis Philosophis, ac Medicis in confesso esse: quod de ipsis quoque morbis longè magis possumus affirmare. Primæ autem rationis vis in hoc sita est. Constat apud omnes quodlibet cõpositum & animatum corpus in duo hæc principia, materiam videlicet, & formam, resolui, secariq; posse: neq; minus liquet, animam ipsam corporis animati formam statuendam esse. Modo siue totum corpus animatum, si-

ris commutatur, quidnam mortalem ipsius partem pati existimemus? an videlicet corpori penitus eam seruire? an pręstat dicere, eam non seruire, sed partem animę mortalem corporis esse temperaturam? Id enim iam ostendimus. Quare cordis temperatura iracunda pars animæ est; iecoris ea, quam Plato concupiscentem, Aristoteles altricem, naturalémq; nominat. Postea idem probat Andronici auctoritate, dum addit: Andronicum autem Peripateticum, qui vt vir liber, & ingenuus, sine circuitione animæ essentiam, quænam esset, omnino pronunciare ausus est, summis orno laudibus, eiusq; approbo sententiam: Eum enim in alijs etiam plerisq; talem inuenio: Cum verò ait, eam esse temperaturam, aut facultatem temperaturam consequentem, quod addidit facultatem reprehendo. siquidem anima facultates multas habet: quippe quæ essentia quædam sit, vt rectè statuit Aristoteles, qui eam essentiam, quæ ex forma est, esse animā enunciauit (etiamsi materia quoque essentiæ nomine gaudeat) cum nihil aliud præter temperaturam, vt paulo ante ostensum est, dici posse videatur. Tādem ex Stoicorum sententia idem ostendit, dum statim subdit: Opinio quoq; Stoicorum eodem essentiæ genere continetur. Volunt enim animam esse spiritum quendam non secus, quam naturam: Naturæ tamen spiritum & humidiorem, & frigidiorē; animę sicciorem & calidiorem statuunt. Ita fit, vt hic spiritus sit materia quædam animę propria; forma autem, quæ ex materia est, aut temperatura cōsistit, cum aerea, igneaq; essentia cōuenientem modum seruat. Quare (concludit ipse) animæ essen-

tiam

tiam ex quadam aeris, ignisque temperatura de ſen tentia Stoicorum conflari cognouiſti. Infrà quoq; cap.6.ex Platonis pariter ſententia probat Galenus, animam à prauo corporis humore lędi. Cum enim (dicebat Plato) acida, ſalſaq; pituita, aut amari, biliofiq; ſucci per corpus vagantes, reſpirationes extrinſecus non conſequuntur, ſed intrò pertracti ipſorum halitum intimis animæ valde permiſcentes infundunt, tum omnis generis morbos, tum grauiores & leuiores, tum plures & pauciores animæ inuehunt: quibus ad tres eius ſedes perductis, quemcunque ſinguli locum obſederint, ibi varias difficultates, & quaſcunque animi moleſtias, ac ſæpe etiam audacias, timiditatesq;, ac pręterea obliuiones, & hebetudines pariunt. In qua oratione animam in mala quædam incidere propter vitiatos corporis humores planè fatetur. Sicut rurſum ex habitu corporis eã morbo affici declarat his verbis: Qui multum fluidumq; circa medullam ſemen habet, quaſi arbor, cum nimia fructuum copia grauidata luxuriat, is multis paſſim affectus doloribus, & in cupiditatibus, earumque fœtibus, multiplici iucunditate perfuſus, plurima vitæ ſuæ parte præ maximis voluptatibus, doloribusq; inſanit; animumq; ex corporis contagione & ægrum, & inſipientem obtinet, nõ vt æger, ſed pro voluntate ſua, vt liber, falſo exiſtimatur; re autẽ vera rerum Venerearum intemperantia magna ex parte propter habitum vnius generis oſſium, vi raritatis, fluidum, ac madidum in corpore, animi morbus effecta eſt. Mox in capite ſtatim ſequenti animam immutari, & affici pro vario corporis temperamento ipſius quoq; Ariſtotelis ſen-

ſententia confirmat. Scripſit enim (ait Galenus) in 2. de part. anim. ad hunc fere modum: Sanguis autem craſſior, & calidior maius robur efficit: tenuior verò ac frigidior maiorem vim ſentiendi. Eadem differentia in ijs eſt, quę ſanguini proportione reſpondent. Quocirca apes, & alię pleręq; huiuſmodi animantes ſunt multis ſanguine præditis animantibus natura prudentiores. Inter eas verò, quæ ſanguine præditæ ſunt, prudentia pręſtant, quæ frigidum, tenuemque ſanguinem habent, ijs, quæ contrà affectę ſunt. Quæ verò calidum, tenuem, ſyncerumq; habent, optimæ cenſentur. quippe quæ & fortitudine, & prudentia multum valeant. Quæ res facit, vt ita quoq; pars corporis ſuperior cum inferiore, fœmina cum viro, dextra cum eiuſdem corporis ſiniſtra diſſideat. Ex quibus verbis poteſt, qui velit, perſpicere, animi facultates ex natura ſanguinis ſequi, eſſe ab Ariſtotele pronunciatum. Quā etiam ſententiam in eodem libro extulit tum alijs verbis, tum ijs, in quibus ſic concludit: Quam ob rem quædam ſanguine vacantes animantes prudentia præſtant ſanguineis quibuſdam, quo in numero ſunt apes, formicæ, & ſi quid aliud eſt generis eiuſdem. Quorum autem aqueus ſanguis eſt, timidiora ſunt: timor enim refrigerat. Quæ igitur iſtiuſmodi temperaturam in corde habent, his perturbationibus facilius corripiuntur. ſiquidem aqua frigore condenſatur. Quocirca reliqua exanguia ſunt ſanguineis (vt vno verbo complectar) timidiora. ac metu perterrita motu non cientur, excrementaq; emittunt, ac pleraq; colores ſuos mutant. At quæ fibras admodum multas, craſſaſq; habent, ea terre-

na magis, iracundaq; ſunt natura; ac proinde ſuribunda: iracundia autem calorem affert. Mox autē clarè ſubdit: Quamobrem tauri & apri iracundi, ſuribundiq; ſunt: ſiquidem eorum ſanguis eſt fibrarum pleniſſimus; ac taurinus quidē celerrimè omnium coit. Quæ cum dixiſſet, eis hæc ſubiunxit: Eſt aūt (inquit) conſentancū, vt ſanguinea natura cauſa ſit, cur multa aduenīant animantibus tum ad mores, tum ſenſus pertinentia: eſt enim totius corporis materia: quandoquidem alimentum materia eſt; ſanguis vltimum alimentum cenſetur. Magnā verò affert differentiam, ſi calidus & frigidus, & tenuis & craſſus, & purus, & turbidus ſit. Alia quoq; ad eandem faciendam fidem elici poſſunt (vt ipſe ait) ex eodem Ariſtotele tum alibi, tum potiſſimū ex traditis ab Ariſtotele de ijs ſignis, quæ, quia naturam, moresq; indicant, phyſiognomica nominātur. Sed demum in octauo capite, immediatè præallegato ſubſequenti docet Galenus, animam à corporis temperatura immutari ipſius etiā Diuini Hippocratis teſtimonio, ita ſcribens: Hæc ſunt, quę in primo de hiſtoria animalium litterarum memoriæ Ariſtoteles conſignauit; quorum ſententias hoc loco recitarem, niſi fruſtra tempus vellem conterere, cum Hippocratem diuinum hominem, & Medicorum, Philoſophorumq; omnium Principem huius contemplationis auctorem, & teſtem adire nobis concedatur. Hippocrates igitur in libro de aere, locis, & aquis, cum de vrbibus ad Septentrionem ſpectantibus loqueretur, ſcripſit his ferè verbis: tum moribus potius feris, quam manſuetis eſſe: de his verò, quæ ad Solem Orientem ſitæ ſunt, agens, in-

quit,

quit, clara etiam voce prędíti homines sunt, & ad iram, & ad intelligentiam promptiores, quam qui Aquilonalem plagam incolunt. Deinde in longũ producto de ijs sermone, sic fermè Asiam describit: Atque Asiam plurimum ab Europa differre in natura earum omnium, quæ è terra exoriuntur, itemq; hominum, mea sententia est: Siquidẽ in Asia multò pulchriora, maioraq; nascuntur omnia: Regio quoq; est mãsuetior, genusq; hominum benignius. In causa huius rei est anni temporum temperatura. Ait autem temperaturam non modo aliorum, quæ percurrit, sed morum etiam causam esse. Eum verò voluisse temperaturam anni temporum aliã ab alia in calore, frigore, humore, ac siccitate differre, in libro de elementis à nobis scripto, in libro de natura hominis, & alijs eius operibus comprobauimus. Sed post verba commemorata, idem docens, de regione temperata, à qua hominum quoq; mores ait reddi temperatos, ita scribit: Ea enim neq; admodum à calore exoritur, neq; à squalore, & inopia aquarum resiccatur, neq; à frigore læditur. Deinceps verò subiungit: Ceterum fortitudinem, ærumnarum, laborisq; perpessionem, & iracundiam his naturis innasci, non est verisimile: sicut neque eiusdem, neque alterius generis perpetui amatores sunt: sed in ijs voluptas dominatur. Post addit: Ceterum, quod ad pusillum animum, effœminatumq; pertinet, vt Asiani sint præ Europę populis maximè imbelles, moribusq; mansuetioribus, anni tempora, quæ non magnas mutationes neq; in frigore, neq; in calore faciunt, sed æqualia permanẽt, potissimum in causa sunt. Paulo etiam post hæc

ait:

ait: Iam ipsos quoq; Asiaticos inter se differre comperies, quod præstantiores alij sint, viliores alij: cui rei causa est temporum, vt ante diximus, mutatio. Inferius etiam, cum agit de his, qui Europã incolunt, hæc scribit: Hi enim populi feri, à societate abhorrentes, atq; animosi sunt natura. Postea sic ait: Quicunq; igitur montanã regionem, asperam, altam, aquosamq; inhabitant, & apud quos temporum mutationes fiunt, eos magnitudine formæ præstare ceteris, esseq; ad labores perferendos, & ad fortitudinem comparatos, atq; etiam à natura agrestes, ferosq; procreatos, probabile est. Qui verò concauis in locis atq; æstuosis, & vbi pratorũ sit copia, habitant, ventosq; calidos plus, quam frigidos sentiunt, & calidis aquis vtuntur, ij magni esse non possunt, neq; proceri, sed eis natura comparatum est, vt ampli, carnosi, & pilis nigris sint, imò verò ipsi nigri potius quam albi, minusq; pituitosi, quam biliosi existant. Ceterum, vt fortes, ęrumnarumq; & laboris patientes sint, non ita est eis à natura tributum, sed lex accedens id efficit. Legem verò nominauit in quaq; regione vitę traductionẽ, quam etiam victum, & institutionem, & patriam consuetudinem appellamus. Et, vt alia eius dicta prætereamus, Inuenies enim, subdit, fere & formas & mores hominum ex natura regionis esse consequentes. Quinimò alium Hippocratis locum eiusdem libri proposuit Galenus, in quo apertissimè declarauit, non solum mores ex temperaturis sequi tẽporum, sed etiam mentis stupiditatem, sicuti etiam acumen. Et in 6. de morb. vulgar. scribebat, quod quibus arteria in cubito vehementissimum motum

facit, furibundi sunt: propterea, quòd hæ arteriæ ob copiam caloris, qui in corde sit, ita pulsent: ac furibundos, iracundosque copia caloris: pigros, graues, quiq; difficulter moueantur, temperaturę frigiditas efficiat. Alia essent Hippocratis loca pro huiusce Galeni sententię corroboratione adducenda: quæ tamen, ne verborum prolixitatis accuset, data opera prętermitto. Sed pro huius dogmatis maiori corroboratione, illud addere mihi sit concessum, quod in quinto capite præallegati libri, Quod animi mores. &c. Galenus scriptum reliquit, dum scil. nos docuit, animam ipsam pro corporis quoq; malis affici, ac meliorem, & deteriorem quibusdā qualitatibus effici. Quid igitur causæ est (inquit ipse) cur non pauci, qui ad extremam senectutem peruenerunt, delirarunt; cum hanc ætatem siccam esse probauerimus? Nempe id non ex siccitate, sed ex frigiditate extitisse dicemus, quando hęc omnes animæ actiones apertè lædit. Quanquam autem hæc obiter dicta sunt, tamen cum hoc nobis in præsentia sit propositum, planè docent animi actiones, atque affectus ex corporis temperatura consequi. Nam si anima est forma corporis, quod ex similibus inter se particulis constat, certe ex eius essentia demonstrationem, quæ maximè scientiam gignet, consequemur: Si verò hanc esse immortalem, propriamq; habere naturam, vt Plato voluit, posuerimus, parere tamen, ac seruire corpori, certè illiusmet testimonio comprobatur, tum ob amētiam infantium, delirantiumq; senum, tum eorum, qui, cum medicamenta sumpserūt, aut prauos succos in corpore genitos cumularunt, desipiūt,

aut

aut insaniunt, aut obliuiosi, amentesq; redduntur. Quousq; enim obliuio, aut amentia, aut motus, sensusq; vacuitas ea, quę dicta sunt, consequitur, eam, ne ijs facultatibus quicquam agat, quę ei natura attributæ sunt, impediri quis affirmauerit. At, cùm cernere se putat ea, quæ non cernuntur, & audire, quæ nemo elocutus est, & quidpiam turpe, aut nefandum, aut potius absurdum efferat, non modo certum indicium est, innatas animæ facultates esse deperditas, sed etiam cōtrarias esse inuectas. Hoc autem magnam adimit toti essentiæ animæ suspicionem, ne non incorporea sit. Quonam enim pacto à corporis societate in contrariam sui ipsius naturam perducatur, cum neq; qualitas vlla corporis, neq; forma, neq; affectus, neq; facultas existat? Sed hoc missum faciamus, ne, quod obiter dicimus, multò prolixius sit eo opere, quod nobis proposuimus. Ceterum à corporeis malis vim animæ afferri, in melancholijs, insania, & furore euidenter apparet. Vi autem morbi inuentos esse, qui neq; seipsos, neque familiares nossent, quod euenisse plerisq; Thucydides auctor est, & in pestilentia, quæ nō multos ante annos mortales vexauit, quam nos etiam vidimus, perinde esse videbitur, ac si quis propter sordes, aut suffusionem non aspiciat, cum tamen aspiciendi facultas nullo affecta sit malo. At si pro vno tria cernas, maximus erit aspiciendi facultatis affectus: eritq; insaniæ non absimilis.

De naturali cerebri constitutione & quæ principaliter, & quæ secundario ad actiones animales in eo edendas concurrunt. Cap. 6.

HÆc sunt, Clarissime compater, potiora Galeni loca, & quia pulchriora sunt, à me data opera ad verbum descripta, necnon firmiores comprobationes, & argumenta, quibus probare nititur, animæ substantiam corporis ipsius temperamentum esse. Potuissem proculdubio & alias ipsius auctoritates in medium afferre, ac potissimum ea, quæ memoriç posteritatis reliquit in libro, siue fragmento illo, quod de substantia naturalium facultatum inscribitur, & ex omnium sententia est Galeni legitimum opus: sed quia alia loca easdem continent sententias, quas superius exaraui, & illud fragmentum est quoddam veluti compendium, siue breuis epilogus eorum, quæ fusa oratione in proprio libro (nimirum, quod animi mores temperaturam corporis insequuntur) explicauerat; idcirco, alijs omnibus posthabitis, hæc sola proferre operępretium arbitratus sum. Verum quoniam sæpiùs tum in hoc eodem libro, in quo circa huiuscemodi argumentum principaliter versatur, tum alibi, tum potissimum in tertio illius percelebris voluminis de locis affectis, capite septimo de hac eadem re dubiè ac disiũctim loqui videtur, statuitq; animam esse aut temperamentum actiuarum qualitatum, aut ab ipsarũ temperamento alterari, ac nonnunquam scribit, animæ essentiam aut esse temperaturam, aut rem quandam temperaturam consequentam, & interdũ

clarius

clarius ab ipso temperamento eam oriri affirmat Ea propter nostrum munus esse debet, vt quæ ab ipso scripta sunt, breuibus, quò fieri possit, aperiamus, & expendamus, & tandem, quid in hac contẽplatione, quę pulcherrima est, sentiendum sit, proferamus. Ex descriptis itaq; superiori capite Galeni auctoritatibus, & rationibus, clarè constat, ipsũ, ad probandnm, animæ substantiam temperamentum esse, triplici ratione vsum fuisse, quarum prima à priori, vt sic loquar, procedit; secunda à posteriori proficiscitur, & ab ipsarum animæ proprietatum ducitur alteratione, quæ in diuersis temperamentorum speciebus, ac morbis eadem temperamẽta labefactantibus, atq; lędentibus, animaduertitur. Tertia maximorum Philosophorum, ac Medicorum, ac potissimum Diuini Hippocratis, Platonis, Aristotelis, Andronici Peripatetici, & Stoicorum auctoritatibus innititur. Porro circa secundã & tertiam probationem nil aliud dicemus, cum ipsemet longiori, & claro admodum discursu vtatur, & tandem concludat tum in citato libro, tum sexta aphorism. com. 23. tum 3. de locis affect. cap. 7. nõ solum humores ipsos, verum etiam corporis temperaturam animæ actiones alterare summis Philosophis, ac Medicis in confesso esse: quod de ipsis quoque morbis longè magis possumus affirmare. Primæ autem rationis vis in hoc sita est. Constat apud omnes quodlibet cõpositum & animatum corpus in duo hæc principia, materiam videlicet, & formam, resolui, secariq; posse: neq; minus liquet, animam ipsam corporis animati formam statuendam esse. Modo siue totum corpus animatum, si-

ue

ue aliquod ipſius particulare membrum organicū ſeorſim expendamus, ac diuidamus, nihil prorſus in eo excogitari,& inueniri poteſt, niſi temperatura,& quæ hanc neceſſariò conſequuntur, compoſitio,& ipſa vnitas, quemadmodum etiam in lib. de different. morb. idem Galenus docet. Verum neq; vnitas, neq; compoſitio, neq; quæ temperaturam conſequnntur qualitates, ſunt ex illorum genere; quibus animę actiones primum debentur, & à quibus immediatè promanant: Ergo ſequitur id, à quo actiones prodeunt, eſſe temperamentum,& ex conſequenti temperamentum animæ ſubſtantiam eſſe. Vt autem iſtiuſmodi ratio clarior euadat, recurramus ad eundem Galenum primo de Vſu part. cap. 9. & 10. quo in loco ſic ait: Vt autem ſermo noſter (inquit) methodo procedat, quæ corporibus inſūt, omnia diſtinguamus. Inſunt autem primum, & maximè temperamenta. quippe quę propriam particularum ſubſtantiam complent. Corpus enim tale natura eſt, propterea, quod caliditate, frigiditate, humiditate, ſiccitate ſic commiſtum eſt. Nam carni eſſe carnem, & neruo neruum,& aliorum vnicuiq; id eſſe, quod eſt, ob qualitatum quatuor prędictarum certam quandam temperaturam contingit. Hæ igitur eis ſecundum ſubſtantiæ rationem inſunt. Conſequuntur autem neceſſariò odores, ſapores, colores, durities, mollities. Alia verò neceſſariò accidunt, poſitio, magnitudo, connexio, conformatio. Hanc eandem ſententiam, ſed clariùs proponere videtur idem Galenus in libro de optima noſtri corporis conſtitutione, cap. 1. & 2. Quo in loco poſitioni, magnitudini, connexioni,&
con-

conformationi ipsum numerum addit, vti etiam in lib. de differ. morb. eundem numerum proposuit, quia ex his omnibus integra cuiuscunque organi compositio resultat. Quo etiam in loco conformationem in figuram, superficiem, cauitates, atque meatus subdiuidit. His verò, quæ in primo de Vsu part. cap.9. scripserat,& statim supra à nobis relata sunt, subiungit: Quoties igitur omnium, quæ organis insunt, vtilitatem diligẽter es examinaturus, in primis disquire, per quod actionem nactum fuerit: magna enim ex parte per propriam substantiã inuenies: (& per substantiam temperaturam ipsam intelligit) aliquando autem etiam ob aliquod ex consequentibus (& tunc subaudire debemus non quidem ad compositionem attinentia, sed ea, quæ necessariò substantiam, siue temperamentum consequuntur) quemadmodum in oculis propter colorem (per quem colorem possumus etiam splendorẽ audire, quemadmodum idem docet 1. de symptom. caus. cap. 6.) Deinde (subdit) & aliarum ipsius particularum vtilitatem singulatim disquiras, an scilicet ea propter actionem sit vtilis, an propter eorũ aliquid, quæ temperamenta consequuntur: vt os propter duritiem. Post hæc autem vnumquodq; illorum, quæ & totis ipsis organis, & eorum particulis accidunt, consideres. quæ (vt paulo ante dictum est) sunt positio, magnitudo, connexio, conformatio. In capite verò sequenti subiungit, quod vbi inquirere, & examinare in vnaquaq; particula ea quæ inuenta & iam proposita sunt, voluerimus, pro principio inquisitionis debemus ipsius organi actionem habere. Qua cognita, atque perspecta,

scire

ſcire expedit, inquit ipſe, quod in vnoquoq; organo primum reperitur vna pars, quæ principalis eſt & dicitur, eò quia præcipua actionis pars eſt, per quam organi actio primò, & principaliter fit. Reliquę verò vniuerſæ particulæ huic parti principali famulantur, ac ſubſeruiunt triplici ratione, videlicet, vel vt melius actio fiat; vel vt cauſæ ſine quibus non poteſt actio ipſa fieri; vel pro cuſtodia, & ad tutelam eorum omnium creatæ ſunt. Ex his igitur colligimus, quòd, ſicuti partes, quę pręcipuæ ſubſeruiunt, ei opitulantur merito cõpoſitionis, cui poſſumus addere vnitatem ipſam, quia hæc tam in partibus famulantibus,quam in principali concurrit tanquam cauſa, ſine qua non; ita ipſiuſmet partis principalis,cui actio primum debetur, temperatura, vel quæ ipſam neceſſariò conſequuntur, ſunt illa, à quibus actio ipſa immediatè,& principaliter proficiſcitur, quæue neceſſariò accidunt,& ad compoſitionem attinent, vt numerus, magnitudo, poſitio, connexio, & conformatio, concurrunt triplici modo iam declarato, nimirum, vel vt actio melius fiat, vel tanquam cauſa ſine qua fieri nequit,vel ad partium ſecuritatem. Quibus ſic poſitis, primam Galeni rationem intimius expendamus, & vsq; ad viuum, vt aiunt, reſecemus, & quia ipſe in toto illo libro, quod animi mores corporis temperaturam ſequuntur, ſemper de anima cognoſcenté, ac ſenſitiua diſſerit,cuius præcipuum & immediatum organum ipſum caput exiſtit,illud pro exemplo methodi, quam deſcripſimus, accipiamus,tanquam illud quod propoſito noſtro optimè inſeruit: vt hinc inueniamus, quæ nam in illo animę ſubſtantia excogitari

tari possit. Clarissimum est autem capitis actionē animalem functionem esse, siue ea sit rectrix, qualis est ratiocinatrix, memoratrix, & imaginatrix, siue sentiens, vti sensus communis est, & externę sensationes, siue mouens. Sed relictis pro nunc tum externis sensationibus, tum functione mouēte, quippe quę particularia, & extrinseca propria organa sortitæ sunt, accipiamus rectrices functiones, ac sensum communem, quarum actionum organum immediatum, atque præcipuum, ex omnium sententia, caput est, seclusis illis organis extrinsecis, quæ tanquā riuuli ab eodem capite oriuntur. Quamuis igitur integræ, ac perfectæ huiuscemodi operationes fiant ab ipso capite, vti diximus, accepto, tanquam à toto membro organico, nihilominus pars principalis, cuius merito iam dictæ functiones obeuntur, est ipsum cerebrum. nam reliquæ partes huic famulantur triplici illo modo iam declarato: Exempli caussa, membranæ, cranium, & partes circumpositę pro custodia habentur, venæ & arterię per cerebri substantiam disseminatæ, quia nutritionis materiam, spiritum, & vitam deferunt, concurrunt vt causę sine quibus non, quia sine vita nulla prorsus actio fieri potest; & arteriarum ingens numerus cum copiosiorem spiritum subministret, ad melius actionem edendam conducit: plexus choroides, & reticularis illa textura admirabilis ad melius pariter edendam animalem functionem dirigitur. Quare, si cerebrū seorsim perpendamus, eiusq; temperaturam, & quę hanc necessariò consequuntur, qualitates, nec non quę necessariò accidunt, & ad cerebri compositurā spectant, examini subijciamus, cum cerebrum ex

H omnium

omnium tum Philoſophorum, tum Medicorum cō muni conſenſu, ſi non prima radix, atque primum principium, ſaltem immediatum, peculiare, atque præcipuum cuiuſcunq; animæ cognoſcentis organum ſit, neceſſe eſt, vt ipſius temperatura in animalibus functionibus obeundis (ſiue rectrices ſint, hegemonicæ Græcis dictæ, ſiue ſentientes, ſed internę) principaliter, ſeu tanquam cauſa principalis, concurrat. Cum autem inter rectrices actiones ratiocinatio quoq; ex Galeni placitis locum habeat, & de hac animæ particula, vti ſuprà ſæpius repetitum eſt, ſemper Galenus ambiguè locutus ſit, ideo debemus hoc in loco ſic accipere cerebrum, & eius temperaturam ita eſſe inſtrumentum, ſiue locū intellectus, & ratiocinatricis facultatis, non quia facultas hæc ſit in cerebro tanquam in loco, & homini, mediante cerebro, per naturam copuletur, quia immaterialis abſtractaq; ſui natura cùm ſit, nō eſt organica, nec eget loco tanquam ſubiecto; ſed dicitur eſſe in cerebro, & hoc mediante, nobis copulari per operationem; quia ad hoc, vt propriam functionem promat, phantaſię miniſterio indiget, quæ & organica eſt, & in cerebro locatur, & operatur, tanquam in organo ſibi præcipuo. Ad quod reſpiciens Philoſophus 12. Problematū, problemate primo, ſcribebat intellectum in capite, ac cerebro ipſo collocari. quam quidem ſententiam clarè quoq; colligere valemus 30. Problem. 3. dum ſcil. aſſeruit, homines paruo corpore pręditos prudentiores eſſe. Quod etiam experientia probatur (vt cum Galeno fuſius diximus) quia obſeruamus, quòd, quamdiu innata cerebri caliditas, & temperatura commenſu-

rata

rata seruatur, & nec ab immodico frigore labefacta tur & obtunditur, nec extraneo calore perturbatur, & intenditur, inculpatæ operationes intellectus eduntur. Quod si frigus immodicum caput, & cerebrum obsideat, vel febrilis ardensq; calor ipsum arripiat, mens, & ratiocinatrix facultas statim lędi tur, & vel labefactatur, vel corrumpitur. Ad pensum igitur redeundo, quomodo cerebri temperatura ad has functiones edendas principaliter concurrat, & reliqua omnia superius commemorata huic, & ipsi cerebro inseruiant, & famulatum gerant, iam aperiamus. Cerebrum, quemadmodum Galenus nos docet 2. de Temper. cap. 3. relatione ad cutem, & partes hominis temperatas, sui natura exangue, frigidumq; est, & eadem cute humidius, præsertim penes partem anteriorem: Est tamen temperatura magis humidum, quam frigidum. Cum enim à veteribus verè, vt Galenus ait, enunciatum sit, humidissimam inter hominis particulas esse adipem, cerebri corpus proximum adipi humiditatis ratione est, quemadmodum ex ipsius mollitie coniectare nobis licet. Huius itaq; temperamenti ratio ea reddi potest. Nam frigidum factum fuit, vt vitales spiritus sui natura feruidiores, qui a corde in cerebrum feruntur, tanquam omnium operationum animæ commune instrumentum, attemperaret. Spirituum enim feruor & nimia caliditas animæ cognitionem non parum oblædit, quia ab intenso calore nimium exagitantur, vt in ebrijs, phreniticis, & huiuscemodi alijs calidioribus capitis affectibus fieri cernimus. Ideo refrigeratio & attemperatio ipsos ad sensationem & cognitionem aptiores efficit. Nã

cognitio, ſenſatioq; , vt ex Ariſtot.2.de part. anim. cap. 10. colligimus, ſtabilitatem,& quietem requirit, cui frigiditas conducit, ſicut ei oppoſitus calor motui maximè fauet. Hac de cauſa ſola animalia ſanguinea, ceu illa,quæ plures,& perfectiores ſortita ſunt operationes, ac ſubinde copioſiorem, robuſtioremq; inſitum calorem obtinuerũt, & ob id pro eius inſigni euentatione corde donata ſunt, cerebrũ pariter nacta ſunt; quia pro ſpirituum feruore contemperando erat neceſſarium. Eſt tamen cerebrum minus frigidum, quam humidum, in relatione ad cutem. Vnde dicebat Galen. 2.de Temper.3. ipsũ ſpinali medulla calidus eſſe,quia periculum erat,ne ab intenſiori frigiditate innatus ſpirituum calor extingueretur, & animales actiones penitus torpeſcerent. Longè autem humidius ac ſubinde molliſſimum fuit effectum,& ſpongiæ inſtar,rariorem ſubſtantiam adeptum eſt,vt tenuiſſimorum ſpirituum, qui paſſim ab omnibus animales appellantur,congruum euaderet ſubiectum, & receptaculum.Quēadmodum enim anima ſui natura incorporea,ſpiritu ipſo,& tenuiſſima ſubſtantia mediante, craſſiori annectitur corpori; ita tenuiſſimus ſpiritus,qui animæ ſubiectum eſt,& inſtrumentum, non poteſt nobis conſociari,& corporibus noſtris adhæreſcere,niſi molliſſima ſubſtantia corporea, quale cerebrum eſt, mediante. Quæ enim craſſitie,& tenuitate inter ſe valde diſſident, mutuo absq; medio vniri, & inuicem vnita conſeruari nullo modo poſſunt. Eſt autem cerebrum in priori parte humidius, ac mollius, in poſteriori minus molle,magiſq; compactũ, quia prior pars ſenſationibus, diſcurſui,& imagina

tioni;

tioni; posterior verò motionibus, atque memoriæ magis dicata est. Sicuti autem sensus consistit in quodam pati, cui mollities magis conducit, vt ex Galeno colligimus 10. de Vsu part. 1. ita motus, cuius natura est in quodam agere, firmioris substantię indigens est: Sicuti memoratrix quoq; facultas vt spectra, & simulachra, rationesq; fœlicius, ac diutius conseruentur, & ex facili non effluant, firmiori, minusq; fluido corpore opus habet. Sed quia mollitiei, quæ cerebri humiditatem consequitur, meminimus, remanet, vt ex his, quę temperaturam necessariò consequuntur, aut ex ea potius emergunt, & exoriuntur, cerebri quoq; colorem commemoremus. Is autem albus omnino est, vt animalium spirituũ maior puritas, atq; claritas ac fulgor inde suboriretur. Quę quidem quantum ad rectricem, imò etiam ad sentientem, & potissimum visiuam functionem conducant, nobis clarè patefacit affectus melancholicus vocatus: In quo dum niger aut ater opacusq; vel humor, vel vapor cerebrũ & animæ sedem obsidet, hæ functiones, & imaginatio, & ratio adeo peruertuntur, ac deprauantur, vt patientes in metum ac mœstitiam absque vlla alia causa, & in mentis alienationem absurdissimam impellãtur. Nam, vt habet Galen. 2. de symptom. caus. cap. vlt. & 3. de locis aff. 2. nihil mirum est, quòd ex atra bile, cum principium rationalis animæ occupauit, timor, mœrorq;, ac mortis expectatio accidant; siquidem etiam eorũ, quæ extra corpus sunt, nihil videmus, quod nos perinde terreat, ac tenebræ. Hæc sunt, (Clarissime Compater) quæ de cerebri temperatura, ac de ijs, quæ eam necessariò cõsequuntur,

ſequuntur, dici poſſunt. Nunc ad ipſius compoſitionem, & ante omnia ad ipſius ſitum, ſiue poſituram me confero. Cerebrum ſummam corporis partem tenet, tum quia ſic decebat noſtræ mentis arcē, tanquam rectricis ac dominæ, ſummo corpore collocari, cœloq; propiorem locum proprium, vnde elapſa eſt, ſpectare: tum quia omnium ſenſationū fons & origo cum ſit, & ſenſationum organa prope cerebrum, gratia maioris tutelę, collocari debuerint, nullus aptior locus viſui, auditui, & olfactui poterat conſecrari. Nam oculi, tanquam optimi ſpeculatores, in terreſtri, bipede, ac rectæ ſtaturæ animali, ad faciliorem, & perfectiorem viſionem edendam, eminentiſſimum corporis locum requirebant. Simili modo, quia ſonitus & odores, aerei & vaporoſi cum ſint, ſui natura ſurſum feruntur, cōgruum admodum erat, vt horum ſenſibilium organa in altiori ſede proprium ſitum haberent. Eſt autem cerebrum in homine ipſo magnitudine adeo vaſtum, vt in relatione ad bruta, alioquin corpore grandiora, homo maximo cerebro donatus ſit, quia nimirum plurimarum virtutum ſedes eſt. Cū enim omnium maximè ad cognoſcendum & contemplādum à ſummo Opifice creatus ſit homo, cerebrum maximum ſubinde habuit, tum vt copioſiſſimum vitalem ſpiritum reciperet, ac contineret; tum vt ipſum ad vnguem contemperaret, ſubindeq; ad cognitionem maximè idoneum inſtrumentum redderet. Quia igitur animalis vis permultis facultatibus in homine præſertim prædita eſt, & copioſiſſimis indigens ſpiritibus, ideo capacius domicilium ei dari par erat. idque pluribus inſtrumentis contineri.

neri. Tanta enim spirituum copia in animalibus edendis functionibus requiritur, vt ad eorum restau rationem natura prospiciens somnum animalibus fuerit elargita, & arteriarum pulsatio in eorundem reparationem magna ex parte conspiret. Quo fit, vt Galenus 1. de cauf. pulf. statim in princip. & alibi sæpius memoriæ prodiderit, inter causas finales, ob quas pulsus editur arteriarum, animalium spirituum generationem vnam atq; præcipuam esse. Cõnexum porrò non cum abdomine, sed cum thorace, eius scil. superiore parte, cerebrum habet, quia, vt in libello de vocis instrumento nos docuit Galenus, maximè confert ad sensationes, siue internas, siue externas, vt inter cerebrum, & nutritoria viscera thorax, & spiritui, seu respirationi destinatæ partes interponantur, vt scil. sensationes à nutritorijs visceribus, maximè distent, ne scil. ab innumeris vaporibus ex concoctionibus, & excrementis eleuatis maximè turbentur. Qua de causa scribebat ille naturam malè olentia atq; deformia procul à sensibus amandasse. Insuper quia cerebrum, vti diximus, copiosissimis eget spiritibus, optimum fuit, vt supremæ thoracis, & spiritalium partium regioni connecteretur: præsertim, quia, vt loc. cit. idem habet, natura proprijs materiæ propensionibus prospexit, & ob id alimento, quod graue est, deorsumq; vergit, illic excretionem parauit. Leui autem spiritui in thorace genito, vt in sublime feratur, concessit. Quoniam verò, vt superius dictum est, cerebrum mollissimum est, ideo ad ipsius stabilimentum atq; tutelam, osseam substantiam, caluariamq; subinde vndiq; circumpositam ipsum habere necesse fuit.

Cum

Cum enim ob nimiã mollitiem nobilissimum hoc viscus irruentibus extrinsecus iniurijs maximè obnoxium esset; ideo osseo ac durissimo tegumento fuit vndiq; circumseptum. Sed quia inter durissimam & mollissimam substantiam nulla prorsus intercedit cognatio, & facillimum est, vt hæc ab illa labefactetur, conteraturq; ; ideo, pro eiusdem tutela, natura inter caluariam,& cerebrum, duplicem interposuit membranam, scilicet tenuem ac mollem, qua quidem cerebrum mollissimum circumtegitur,& crassam ac duram, quę tenuem perfectè ambiens tutius commercium cum ossea substantia sibi simili habere potest. Quinimò, vt cerebrum ab eadem dura membrana aliquatenus suspenderetur, & in caluariæ ossa non ita vehementer irrueret, & comprimeretur, crassior hæc membrana villis compluribus caluariæ suturis adhærescit, qui inde foras elapsi, fusiùs, ac latiùs circumiecti alteram membranam conficiunt omnem caluariam extrinsecus inuestientem, quæ ob id pericranium Gręcis dicitur. Et quia demum cerebrum adeo magnum vnà cum propositis partibus nedum plurimis spiritibus, sed etiam plurimo alimento indiget: ideo tum cerebro præsertim, tum alijs enumeratis partibus quam plurimæ venæ & arteriæ fuere tributæ: quarum merito cerebrum maximam cum corde & hepate colligantiam atque consensum habet. Superest cerebri conformatio, in qua possumus figuram, superficiẽ, cauitates, atq; meatus expendere. Eius porro figura (quam totius capitis figura consequitur) fuit rotunda tum ad securitatem, quia sic externis iniurijs minus obijcitur; tum ad melius esse gratia sen

sationum,

ſationum, & animalium functionum, quia talis figura ſpirituum, & cerebri ſubſtantiæ eſt magis capax. Eius autem ſuperficies leuis omnino eſt, quia ſic à tenui, & dura meninge perfectius, ac faciliùs inueſtitur, & ab oſſeæ ſubſtantiæ preſſu & iniurijs exactiùs tutatur. Habet tamen cerebrum in baſi, & poſteriori parte quoſdam proceſſus, ſiue germina, quæ quidem ad motum, ac ſenſationes omnes externas, tanquam cauſæ ſine quibus non diriguntur. Poſtremò in cerebro tum cauitates, tum meatus euidentes, tum minus euidentes, ac compagis, ſubſtantiæq; raritates, ſpongiæ cuiuſdam inſtar, reperiuntur. Nam prior cerebri pars geminata cum ſit, geminis quoq; ventriculis intrò reconditis excauata eſt. Qui quidem ex his primis cerebri partibus initium ducentes, ad medias ferè regiones accedunt, & inde paululum reflexi in imam ſedem prope cerebri baſim detorquentur. Hi verò duo ventriculi anteriores in mediam quandam, eamq; indiuiduam cauitatem concurrunt, quam medium ventriculum vocant, qui prioribus minor eſt. Sub cerebello verò, quod occipitis oſſe tegitur, & cerebro durius & ſiccius eſt, & à cuius extrema parte ſpinalis oritur medulla, à qua clariores nerui per totum corpus perferuntur, alius ventriculus, quem poſteriorem vocant, continetur, qui prioribus minor eſt, ſed medio maior: qui initio latiùs patet, ſed coarctatur extremitate ſua in mucrone compreſſa. Hi autem ventriculi cerebri, & præſertim priores, vt ex Galeni auctoritate ſuperius citata, 7. de Placitis, diximus, non ſolum ad ipſius cerebri excrementa ſuſcipienda, & expurganda per nares, & os, quod ſpon

goeides dicitur,& per palatum,ac peluim vocatam, diriguntur,pro cerebri nimirum conseruatione; verum etiam ad animales spiritus nuncupatos suscipiendos, alterandos, ac pręparandos, vt postmodū ab innata cerebri facultate, ac proprietate alterati in oculos, ac alios omnes sensus, & per medium ac postremum ventriculum ad sensus & motus instrumenta diffluant, pro ipsorum scil. functionibus obeundis. De quibus non est dicendi singulatim locus. Plures autem alios meatus sensus nostros effugientes, & rariorem compagem sortitum est cerebrū ad melius actionem animalem edendā, quia huius merito spirituosam substantiam, & vberiorem suscipere,& ęqualiter, ac vniformiter fœliciùs attemperare valet.

Ex traditis fuudamentis Galeni sententiam exactiùs comprobari posse. Cap. VII.

SI itaq; hæc omnia, quæ de cerebri naturali constitutione fuere proposita, verissima sunt,& si ex Galeni decretis humores, qui contenta vocantur ab Hippocrate, nec viuunt, nec vllam proferunt actionem; impetum autem facientia,& spiritus ipsi, præter id, quod non viuunt, non sunt animę substātia, sed ipsius instrumentum, vt superius ex eodem dictum est; & si solidæ tantum partes, quæ etiam continentes nominantur, sunt illæ, quæ viuunt, & proferunt actiones proprias,& si in illis nil præstantius,& quod magis principaliter concurrat ad actiones efficiendas reperiri potest ipsa temperatura, si quis rationes diligenler subducat,luce clarius ei pa-

tere

tere poteſt, animæ eſſentiam eſſe temperaturam. Quod eò firmius comprobabitur, ſi recurramus ad ea, quæ in humoribus, & intemperantijs cerebrum, tanquam animæ cognoſcentis ſedem obſidentibus, contingunt. Quod enim ex Galeno cerebri temperatura ſit illa, à qua primum principales animales functiones prodeũt, ex eo demonſtrari poteſt, quia, ſi hæc inculpata ſit, vt Hippoc. lib. de diæt. ſalubri, & Galenus 3. de loc. 5. teſtantur, hæ principes & internæ animales operationes valent, & optimæ fiunt; ſin cerebrum ab exquiſita & proba temperatura deflectat, eò magis vitioſę fiunt, quò maior ab eucrata temperatura fit receſſus. Vt autem hoc appareat, primò ſupponamus, modos, quibus cerebrum penes proprium temperamentũm, & ſubinde quatenus pars ſimilaris eſt, mutatur, eſſe octo, prout quatuor intemperantijs ſimplicibus, & quatuor compoſitis corripi poteſt, quę omnes vel nudæ, ſiue ſine materia, vel cum aliqua materiali labe connecti poſſunt. Supponamus ſecundò, diuerſas principes functiones in diuerſis cerebri partibus fieri. Nã ex Ariſtot. & Galeno 3. de locis affect. in anteriori cerebri parte eſt ſenſus communis organũ, ad quod ſomnus, & vigilia ſui natura pertinent: In media ipſius parte imaginatio reſidet, & phantaſia, & vnà cogitatio & ratio; etiamſi ex nonnullis Galeni auctoritatibus, præſertimq; 7. de Placit. ad poſteriorem magis ventriculum inclinare eliciamus. Memoria verò ex Galeni dogmate in poſtica cerebri regione ſedem habet. Quibus ita prælibatis, quotidiana nobis patefacit experientia, quòd ſi prior cerebri pars frigidior, aut humidior euadat, alti fiunt

sopores: sin siccior, & calidior, vigiliæ. Si hæ intẽperaturæ ad mediam cerebri partem peruenerint, ex intẽsa frigiditate destruitur imaginatio, & ratio, & oritur amentia; si moderata, siue minus intensa, hebetatur, fitq; stoliditas. Ex calidiori & sicciori intemperantia hæ operationes deprauantur, & audacia, temeritas, iraq; suboritur, vt in phrenitide, & mania contingit. Hæc autem idcirco fiunt, quia ab his cerebri intemperantijs animalibus quoque spiritibus per id disseminatis similes intemperies communicantur. Vt enim frigus & calor contrariæ sunt qualitates; ita aduersarij effectus inde proueniunt. Nam frigus pigras, vt Galen. ait 3. de loc. 5. & ineptias facultates reddit, & ob id omnia tarda, & inepta fiunt; & hę functiones labefactantur, imminuuntur, & languent. Nam his lęsis actionibus (inquit) cerebrum afficitur tanquam primo genere, ipsa intemperie; sed secundum alterum genus & subalternum, omnino frigida corripitur intẽperie, ait ille, quia hæc animales actiones torpidas efficit, vt animalia, quæ per frigora latere coguntur, non obscurè declarant. Quod etiam in frigidis medicamentis, cibis, & capitis affectibus videre est. Contrà, calor intensus nimis mouet, inordinatè exagitat, omnia confundit, imagines turbat, & iudicium peruertit, quod delirare est. Hæc pariter contraria symptomata ab intemperie materiei consociata eundem in modum fiunt. Nam calidus & siccus humor, vel vapor, in priore cerebri parte, vigilias; in media furorem, phrenitim: Pituita in eadem anteriori parte, coma, soporem; in media amentiam, morosin, stoliditatem; in postrema obli

uiosum

tiiosum affectum parit. Sanguis in antica somnum longum, non profundum, quia humidus est & calidus, aut etiam profundum, si copiosus sit, vti Gal. 1. prorhet. com. 1. nos docet, excitare valet: Si alias cerebri partes ac ventres occupet, mouet deliria cũ hilaritate, & risu, & aliqua in somnum propensione. Melancholicus succus in parte priori, vigilias; in media, & in ipso cerebri corpore, ratione frigiditatis, & nigredinis, deliria excitat, sed cum demisso animo & timore, ac mœrore, cum solitudinis delectatione, & pigritia; sed citra iram & rixam: in posteriori parte, frigiditate & siccitate, interdum catochen, & stuporem, siue congelationem; aliquando obliuionem gignit. Verum quoniam ea, quę alibi Galenus tradit de melancholici succi nigredine, dũ inquit ab hac, non autem ab ipsius qualitatibus primis timorem, & mœrorem proficisci, videntur nostrum hoc, imò & ipsius Galeni lib. Quod animi mores. &c. fundamentum omnino peruertere; ideo cogor hoc in loco quadantenus sistere gradum, & ostendere, timorem, ac mœrorem, melancholici humoris frigiditati, vt causæ potissimę, adscribendum esse. Quod eò libentius præstabo, quòd neminem hucusq; vidi, qui rem huiuscemodi rectè declarauerit. Id igitur ex eo patere potest, quod spiritus omnes in corde ipso, tanquam in propria officina, generantur; in cerebro verò (vti superius docuimus) à sanguine secernuntur, & contemperantur. Sæpiùs autem dictum à nobis, demonstratumque est, quod cerebrum est immediatum, ac proximum quorumcunq; animæ affectuum instrumentum. Quocirca, si ex Galeni decreto lib. art. medic. c. 30.

cor frigidum ex timiditate, & tristitia nimia indica tur, quia frigidiores animales spiritus cerebro suppeditat, qui ad cerebrum delati, metus ac mœstitię nimiæ causa euadunt: ergo in affectu melancholico iidem animales spiritus à melancholici succi frigiditate refrigerati, metus & mœstitiæ erunt aucto res. Huius autem humoris siccitas, ac passiua qualitas, ad hæc & delirium melancholicum producendum primò & per se non concurrit: quoniã ex Gale. libr. Quod animi mores. &c. cap. 4. & 5. humiditas dementiam, siccitas prudentiam gignit: Et Heraclitus dicere consueuerat, splendor siccus, anima sapientissima: Et primo de natura human. com. 39. ait Galenus, quod animi constantia ab humore prouenit melancholico; stoliditas & simplicitas à sanguine, quia eius humiditas spiritus, & facultatum organa obtundit, siccitas acuit, & vegetia, & pura reddit. Ideo lib. art. Medic. cap. 16. inquit, quod siccum cerebrum à sensuum indicatur perspicacia. Quamobrem melancholiæ siccitas ad melancholica symptomata producenda duobus modis concurrit: Vno quidem, quia spiritus ab humiditate ligari, & obtundi non sinit, & somnolentum affectum arcet, ac proinde vim animalem solutam, in continuoq; motu errantem seruat. Sed quia nõ caliditati, sed frigiditati iuncta est, non in ira, auda cia, & temeritate, sed potius in timore, ac mœrore imaginatrix facultas ac functio versatur. Altero autem modo, quia siccitas frigiditati annexa spiritus aliquatenus absumendo, est in causa, vt animalis functio quoquo pacto langueat, & inde pusillanimitas suboriatur, propter defectum, quemadmo dum

dum 7. aphor. 9. Hippoc. & Galenus ex cerebri inanitione desipientiam fieri affirmarunt. Quare timor in melancholicis principaliter à frigiditate proficiscitur, cui, vt Galen. scribit 2. in 1. Epid. 75. cognatæ sunt mœstitiæ. Quia enim valde timent, ideo plurima mala sibi aduentura formidant, & falsò imaginantur, vt cœlum ruere, & alia huiusce generis absurda. Ad hæc tamen producenda neque frigiditas sola sufficiens est, etiamsi causa sit principalis atq; magis præcipua, neq; nigredo sine frigiditate: sed melancholicorum symptomatum causa adæquata, frigiditas vnà cum tenebrositate censeri debet. Si enim tenebrositas satis esset, plures maniaci timerent, ac mœsti essent. Consequentia clara est, quia mania sæpè ab exusta & atra fit bile interdum ab exusto & denigrato sanguine ortum ducit. Et tamen neq; metus, neq; mœstitia eosdi uexat. Ex aduerso, sola frigiditas sine opacitate non sufficit, quia sui natura soporem potius, aut amentiam, aut stultitiam, aut obliuionem procreat, vti clarè testatur Gal. 3. de loc. aff. 5. dum ait, cerebri frigiditatem rationem, & memoriam labefactare, etiamsi nonnunquam humiditati, interdum siccitati iuncta sit. Vnde non est putandum frigiditatem siccitati iunctam melancholicum affectũ absq; opacitate parere posse. quia Galen. duos refert ægrotantes, qui memoria capti, non tamen melancholici erant, in quibus calorifica siccantia noxia erant, humectantia verò non mediocri eis erant præsidio. Quocirca eum, qui ob laborem in studijs & vigilias, memoriam penè amiserat, & rationem, & subinde non melancholia, sed fatuitate, siue stulti-

tia

tia laborabat; & agricolam, qui ob laborem in colendis vitibus, & ob tenuem victum, eodem modo fuit affectus, calfacientibus, & humectantibus, & præsertim optimi ſucci alimentis curauit. Sed, vti diximus, frigiditas in affectus melancholici generatione tanquam prima qualitas primas ſedes tenet; quia timorem parit, & animum demiſſum reddit: Secundas ſedes tenet nigredo; quia eſt in cauſa, vt etiam absq; vlla cauſa, & ſine vlla ratione timeant, & abſurdę admodum eis imaginationes obuerſentur. Ex quibus patere arbitror, qua de cauſa Galenus, ceu maximus Philoſophus, ab ijs, quæ experientia ipſa quotidie obſeruantur, inſtructus & impulſus toties affirmauerit, animę ſubſtantiam ipſummet temperamentum eſſe.

Quibus rationibus Galeni ſententia euerti poſſit, atq; probari, animæ eſſentiam non eſſe corporis temperamentum. Cap. VIII.

QVoniam verò prudentiſſimus, & admirabilis hic vir (ſic eum vocat etiam Simplicius, maximus Philoſophus) videbat quàmplurimas inſtantias, & valida argumenta aduerſus hanc opinionem afferri poſſe; ob id tale decretum non omnino abſolutè tanquam verum pronunciauit; ſed, disiunctiuè loquens, animam eſſe vel temperamentum, vel aliquid illud conſequens, vel eo indigens, & vtens, vel eidem inſeruiens aſſeruit. Et proinde, Galenum hucusq; circa ipſius animæ dignotionem lapſum eſſe, affirmare iure aliquo non valemus. Nam reuera, ſi poſthabita eius auctoritate, veri-

veritatem ipsam rimari, & expendere accuratiùs velimus; nulli dubium esse debet, quod anima & ipsius facultates non sunt temperamentum partium, in quibus fiunt, sed potius partium temperamentis, in proprijs edendis actionibus vtuntur, tanquam proximis instrumentis, vti secundo de anima Aristot. declarauit. Quinimò temperamenta propria non solum ea intelligenda sunt, quę ex mistura quatuor elementorum consurgunt (hęc enim tanquam materia se habent) sed si ad actum, vt Peripateticis verbis vtar, sint adducenda, oportet, vt à spirituum copia, atq; substantia, tanquam à forma foueatur. Quiquidem spiritus ea qualitate, copia, & puritate, seu perspicuitate præditi esse debent, quam facultatum animæ natura requirit. Quod autem animæ substantia temperamentum esse non possit, pluribus, ac validis rationibus probat Arist. in primo de Anima libro, dum refert opiniones antiquorum, & aduersus illos differit, à text. 55. vsq; ad 62. Earum prima est: Anima debet secundum diuersas, & oppositas mutationes mouere: sed hoc temperamentum facere non valet, quia temperamentum è quatuor elementis conflatum est, cum prædominio alicuius illorum: cuius ratione non potest habere motum, nisi secundum prædominium illius elementi, quemadmodum in principio libri primi de Cœlo idem Aristo. docuit. Secunda ratio est, quia temperamentum spectatur penes harmoniam simplicium corporum, & quatuor primarum qualitatum, & proinde dicit similaritatem, vt habetur primo de Generat. in fine ab eodem Aristot. & vt etiam idemmet Gale. tum lib. de diff. morbor. tum alibi

toties fassus est. Sed anima, vt per sensum ipsum nobis manifestè apparet, non potest, nisi in organico corpore & dissimilari reperiri: ergo temperamentum esse minimè potest. Tertia ratio est: Anima diuersas, imò contrarias habet operationes, vt apparet in animæ perturbationibus, quod etiam Gal. in lib. de Placit. Hipp. & Platon. toties scriptum reliquit. Sed vni temperamento, quod est semper vniforme, tam varias & contrarias affectiones adaptare nullo modo possumus. Præterquam quod non est facile determinare, quomodo ratio cognoscendi obiecta sensibilia adeo diuersa vni temperamento accommodari possit. Quarta ratio: Temperamentum est materia, vt habetur apud Arist. 2. de part. animal. cap. 1. & ex eiusdem primi de Anima, tex. 60. colligitur, vbi inquit, quod licet anima sit aliquid diuersum à mixtione, tamen deficiente mixtione deficit, quia temperamentum ipsum est subiectum, quod ab anima supponitur. Ex quo fundamento facilè elicimus, quomodo diluenda sit instantia Galeni, quam affert in suo libro, Quod animi mores corporis sequantur temperaturam, aduersus Platonem & eius sectatores. Inquit enim Arist. 1. de Anim. tex. 14. quod licet anima non sit temperamentum; est tamen facultas corporea, & ibeo penes varias corporis affectiones ad varias ducitur, ac determinatur affectiones. Hæ sunt potiores rationes Aristotelis ad probandum, animam tẽperamentum non esse. Quibus, si libet, alias plures ex libro Nemesij de anima, cap. 2. addere possumus. Vnde scribebat ipse, quòd, corporis temperamentum non posse esse animã, hinc patet. Omne

corpus

corpus & animatum, & inanimum ex quatuor elementis temperatum est. horum enim temperatio corpora efficit. Si igitur corporis temperamentum est anima, nihil erit inanimum. Et coucluditur ratio sic: Si temperamentum corporis anima est, Omne porrò corpus temperamentum habet: Ergo omne corpus animam habet. Si omne corpus animam habet, nullum corpus erit inanimum: neque lapis igitur, neq; lignum, neq; ferrum, neq; aliud quippiam inanimum erit. Si verò dicat Galenus, vel aliquis pro eo, non vniuersè omnem temperationem corporis esse animam, sed certam quandã; quærendum, qualis sit temperatio, quæ animans efficiat, & in animæ loco numeretur. Qualecunque enim temperamentum dixerit, tale & in inanimis reperiemus. Cum enim nouem tẽperamenta sint, vt ipse in libris de temperam. ostendit, octo quidem incommoda, vnum commodum; eo, quod commodum est, dicit hominem esse temperatum; non omnem tamen, sed eum, qui medió temperamento est: reliquis incommodis temperamentis cetera animalia, pro cuiusq; specie, alia magis, alia minus esse concreta. Sed hæc responsio non est sufficiens, quia, vt idem Gale. docet in lib. de simplic. medic. hæc nouem temperamenta etiam in medicamentis, quæ inanima sunt, inueniuntur. Nam calida, frigida, humida, sicca, & exactè media, & eucrata, siue temperata, vt ad hominem & ipsum temperatum relata sunt, dicuntur. Pręterea, si anima temperamentum est; temperamenta autem ætatibus, temporibus, victuq; mutantur, efficitur, mutari animam. Si mutatur anima, non eãdem habemus animam;

ſed pro temperamento aliquando leonis, aliquando ouis, aliquandò alterius cuiuſdam animalis, quod abſurdum eſt. Addit aliam rationem Nemeſius, quam etiam ex Ariſtotele poſuimus, dum ſubdit; Deinde temperatio nō aduerſatur cupiditatibus corporis, ſed adiuuat eas, ipſa enim eſt, quæ mouet, ac incitat; anima autem aduerſatur, non eſt ergo anima temperatio. Præterea, ſi anima temperamentum eſt; temperamentum autem qualitas; qualitas rurſus & aduenit, & recedit, ſic vt ſubiectum nihilo magis intereat: item anima quoq; ſeparabitur, ſic vt ſubiectum non intereat. Hoc autem verum non eſt. Non ergo temperamentum, aut qualitas anima. Non enim ſanè alterum contrariorum naturaliter adeſſe animali dicent, vt calorem igni. Hic enim mutari nō poteſt, vt temperatio mutatur, imò hi ipſi ſunt, qui medendi ſcientia temperationes mutant. Omnes inſuper corporis qualitates ſenſu percipiuntur: Anima verò non ſub ſenſum, ſed ſub intelligentiam cadit: Non ergo qualitas corporis eſt anima. Præterea ſanguinis, & ſpiritus, adiuncta carne, neruis, cæteris, bona temperatio, robur eſt; caloris, frigoris, ſiccitatis, & humoris ſanitas; membrorum autem apta compoſitio, cum coloris ſuauitate, corporis pulchritudinem gignit. Quare ſi harmonia ſuauitatis, & roboris, & pulchritudinis, anima eſt, neceſſe eſt hominem, quoad viuit, neq; ægrotum eſſe, neq; infirmum, neq; deformem: Contingit autem ſæpe non vnam tantum, ſed omnes pariter has tres bonas temperationes perire; & hominem tamen viuere. Accidit enim vt idem ſimul & turpis ſit, & infirmus, & ægrotans. Non ergo cor-

poris

poris bona temperatio anima est. Sed, inquies, quo modo ergo naturales virtutes, vitiaq; naturalia hominem insequuntur? Id verò ex corporis temperamento fit. Vt enim naturaliter ex temperamento salubri sunt, & insalubri corpore; ita alij naturaliter amara bile abundantes ad iracundiam, alij ad timorem, alij ad Venerem propensi sunt. Verum aliqui coercent, ac superant. Dubium autem non est, quin temperamentum coerceant: atq; aliud est, quod coercet, aliud quod coercetur: Aliud ergo temperamentum, aliud anima. Cum enim corpus animæ sit instrumentum, si idoneè effectum fuerit, adiuuat animam, ipsumq; se commodè habet: sin non idoneè, impedit animam; ac tum satis negotij habet anima, dum cum ineptia sui instrumenti luctatur: ac nisi admodum sit sobria, etiam cum eo peruertitur: quo modo Musicum lyræ peruersio in errorem inducit, nisi eam primum rectè composuerit. Quamobrem animæ adhibenda cura est, vt corpus accommodatum sibi instrumentum reddat, quod per rationem, & mores assequetur, vt in harmonia, ita hic alia laxans, alia intendens, quo ipsũ sibi aptum efficiat, eoq; vt commodo instrumento vtatur, nisi & ipsa cum eo peruersa fuerit, quando etiam hoc aliquando vsu venit. Hę sunt Nemesij aduersus Galeni sententiam rationes: Quarum licet nonnullæ sint eædem cum his, quę ab Aristotele excogitatę, & superiùs à nobis exaratæ fuere, alię non exigui sint roboris, aliæ verò infirmę, imò à nobis infrà diluendæ, dum de veriori animæ substantia agentes argumenta aduersus illã confutabimus: illas nihilominus, tanquam sententias, & dogmata

scitu

ſcitu digna continentes, apponere voluimus. Certum eſt autem, tum propter Ariſtotelis argumenta potiſſimum, tum propter alia, quę poſſent in mediũ afferri, Galenum fuiſſe coactum & hanc ſententiã ſuſpectam habere, & ad veriorem confugere: De qua nunc & longiori, & accuratiori ſermone ſumus tractaturi, vbi prius (id quod ſæpius à nobis repeti tum eſt) denuo proteſtati fuerimus, non de rationali animæ parte, quę immortalis omnino eſt, ſed de ſenſitiua, tanquam illa animę ſpecie, quæ brutis communis eſt, & vnà cum corpore eſſe deſinit; tum Galeni ſententiam, tum comprobationem noſtram ſemper intelligendam eſſe. Nam præter teſtimonia ſuperius relata, habemus aliud eiusdem Galeni dictum in eius libris de demonſtratione, quod Nemeſius in libro ſuo de Anima, cap. 2. literis mandauit his verbis: Galenus verò (inquit) nihil quidem pronunciat, ſed teſtatur in lib. de Demonſtrat. ſe nihil de anima affirmaſſe; attamen quæ dicit, declarant, eum magis probare, animam eſſe temperamẽtum, vtpote cum morum differentia temperamentum ſequatur. Quod ex Hippocratis dictis confirmare nititur. Verum ſi ita eſt, certè etiam mortalem eam opinatur, non tamen omnem, ſed eam tantum, quæ rationis eſt expers. Nam de rationis participe addubitat his quidem verbis. Hæc ille. Quare ad penſum, & ad veriorem animę ſubſtantiam aperiendam vnà cum Galeno properabimus.

Animæ ſubſtantiam cum Hippo. & Gal. innatum calorem eſſe, certius probari poſſe. Cap. IX.

HANC porro certiorem animæ naturam à pręceptore ſuo, Diuino nimirum Hippocrate, tanquam

quam omnium bonorum inuentore didicit nedum in plerisq; alijs locis, & auctoritatibus, de quibus infra; verum etiam, dum ipsum 5. in 6. de vulgar. morb. tex. 5. hæc formalia verba scripsisse vidit, ac diligentiùs animaduertit. Hominis anima (inquit Hipp.) semper ad mortem vsq; producitur: sin autem ignescat, simul cum morbo, & anima corpus depascitur. Quamuis autem hanc particulam Hippocratis veram esse, non censeat Galenus, sed ab alio interpositam; tamen subdit, quod fortasse ipsius filius Thessalus in chartis ac corijs Patris sui eã repetit, & interiecit. & infrà eam explicans, illam ostendit esse Magni Hippocratis decretis consentaneam. Eapropter videamus, quid in eius interpretatione nobis Galenus scriptum reliquerit, & de hac opinione sentiat. In primis autem inquit, quòd cũ Hippo. in nullo proprio libro clarè exposuerit, quid verbum (producitur) significet, ideo præterquam quòd hoc nescit, neq; etiam animæ vim & naturam se firmiter tenere, sibi persuadet. Cum autem possit quatuor potissimum habere significata, videlicet, generatur, augetur, conseruatur, & melior euadit; nulli dubium quod tertium significatum, videlicet, conseruatur, rectiùs huic dicto videtur accommodari posse. Deinde Galenus statim addit hæc verba: Cerebrum sanè (inquiens) sensus motusq; voluntarij principem auctoremq; esse omnibus animantis particulis in libris de Placitis demonstraui. Illud præterea persuasum habeo, spiritum, qui in eius ventriculis continetur, primarium esse animę instrumentum: quem quidem temerè pronuncians eò ferebar, vt animæ vim, atq; naturam esse dicerem.

tem. Siue autem tota cerebri natura ex quatuor elementorum temperatione ad talem sit redacta substantiam, aut proprietatem, per quam sensus, volũtarijque motus primus auctor in animantibus sit, itemq; memoriæ, & intelligentiæ; siue alia vis quædam vacans corpore sit cerebro indita à conditore nostro, & recedat nobis morientibus; nullam habeo firmam de hac re demonstrationem; imò eos, qui hac de re definire aliquid volunt, existimo nobis temeritate potius, quàm sapientia præstare. Mox huiuscemodi sententiam meliùs explicans subdit, quod planum est ex eo, quod ipse subijcit, verbum, producitur, de animæ ipsius substantia dictum esse, vt cum ait: sin autem ignescat, simul cum morbo & anima corpus depascitur. In quo verbum (ignescat) videtur de Hippocratis sententia significare, animæ substantiam esse natiuum calorem; quem ipse naturalium actionum multis in locis esse auctorem affirmat. Maximum autem hoc loco decretũ agitatur, de quo est etiam inter Philosophos dissensio. nam quidam vnam esse animæ naturæq; substantiam arbitrantur, quorum alij in spiritu, alij in corporis proprietate consistere eam volunt. Quidã verò non esse vnam aiunt, sed propriam esse vtriq; attributam, eamq; non parum, sed toto genere differentem: ac naturæ quidem substantiam caducam esse, animæ verò æternam statuunt. Aristoteles autem, atq; Plato, vtramq; potestatem, vt nomine, comprehendunt. Quippe qui non solum qua ratiocinamur, atq; meminimus; animam vocent, sed eam etiam, quæ plantis inest. Stoici autem appellare naturam solent, qua stirpes; animam verò,

qua

qua animantes gubernantur. Vtriusq; verò substantiam innatum esse spiritum, atq; inter se differre putant: sicciorem enim esse animæ spiritum; humidiorem verò naturæ; atq; vtrumq; non solum alimento, sed aere quoq; indigere, vt permaneat. Quicunq; autem huius decreti principem Hippocratem fuisse putant, vt in libro de septimanis est dictũ, ij verbum (producitur) de instauratione esse dictũ aiunt, quæ in ipsis ex vtraq; substantia & alimenti, & aeris efficitur, vt euidenter apparet, & vsum vtriusq; nouimus. Probatum enim est, moderationẽ innati caloris à respiratione conseruari; à ciborum verò oblatione id, quod de corporea substantia defluit, resarciri. Ac si anima est quædam forma corporis, meritò produci ad mortem vsq; censetur: At si eius substantia alia est à substantia naturæ, quam Aristoteles altricem, Plato appetitricem vocat, verum quidem erit id, quod dictum est; sed de anima, quæ rationis particeps est, non iam idem verè dici poterit. At innatum calorem, cui corporea opera Hippocrates præcipuè accepta refert, ignitum non modo non posse priora munera obire, neq; nos alere, quod erat eius præcipuum munus vel maximè, sed etiam non secus, quam ignis, corrumpere, & liquefacere, nobis rem ratione perpendentibus, & corporis colliquationes ab æstuosis febribus factas euidenter intuentibus est planè perspicuum. Hæc Galenus. Ex quibus facilè videre est, ipsi cum Hippocrate conuenire, innatum calorem, cui Hippocrates corporis actiones præcipuè acceptas refert, animæ naturam, siue substantiam dici posse, siue (producitur & ignescat) de innato calore, siue de spiritu ab

huius sententiæ auctore fuerint enunciata. Sed innatum calorem ipsammet animæ naturam atque substantiam esse longè clarius habemus Galeni testimonium in lib. de Rigor. cap. 6. circa medium, dum ita scribit: Procedet autem disputatio (ait ille) ex Hippocratis principijs, non autem corpuscula & meatus statuemus corporis nostri elementa: neque calorem, motus, aut attritus, aut alterius cuiusdam causæ sobolem pronunciemus, sed corpus quidem totum conspirabile & confluxile censemus: calorem autem non acquisitum, neque animalis generatione posteriorem, verum ipsum primum, primogenitum, & insitum: Ac natura sanè & anima nil aliud, quàm hic existit. Quare si substantiam per se mobilem, & semper mobilem ipsum intelligas, haud errabis. Hæc ipse. Vnde an Galenus de animæ substantia decretum proprium apertius, quàm his verbis, patefacere potuisset, ego prorsus non intelligo. Et idem prima aphor. com. 14. scribit Hippocratem suum secutum esse dogma, & omnium fere nobilissimorum Philosophorum, qui eorum, quę animalia constituunt, elementorum, calorem vitę primarium auctorem esse existimarunt. Et in sequentis textus commentario inquit, nil aliud quicquam esse naturam animalium, præter hoc innatum calidum ex Hippocratis opinione.

Alios præter Hippocratem & Galenum fuisse Philosophos, qui calorem animam esse existimarunt, etiamsi Aristoteles aliter senserit: & Quid sit innatus, siue vitalis calor apud Hippoc. & Galenum. Cap. X.

EX his, quæ dicta hucusq; sunt, præstantissime Compater, potes conijcere, quòd etiam si Magnus noster Galenus 5. in 6. de vulgar. morb. com. 5. tradiderit, animæ vim & essentiam nosse esse omnino difficile, id quod ex tanta opinionum, rationumq; discrepantia, & ex tanta tum veterum, tū recentiorum Philosophorum concertatione intelligi potest; ac subinde illum alioquin Philosophum ac Medicum solertissimum, & ingeniosissimū, haudquaquam puduisse suam de re hac inscitiam sępissimè suis in scriptis prodere, vt in libello de vtilitate respirationis, in libro, Quod animi mores corporis insequantur temperaturam; in 7. lib. de vsu part. necnon in fragmento de substantia facult. naturalium, & alijs in libris, qui Galeni legitimi ab omnibus censentur, videre est: Illi tamen hæc videtur fuisse opinio, animæ substantiam nihil aliud esse, nisi calorem naturalem, siue dicamus vitalem, ac primogenium, vt ex descriptis in superiori capite eius auctoritatibus luce clarius nobis constat, Quinimò dum 5. in 6. Epidem. com. 5. hæc formalia profert verba (Illud pręterea persuasum habeo, spiritum in cerebri cauis positum primarium esse animæ instrumentum, quem etiam, vt potius animæ substantiā esse dicerem, mihi erat animus.) apertè declarat, se

ſpiritum hunc à calore naturali non admodum ſeparare. Qui etiam lib. de Tremor. cap. 6. ſuperius citato inquit animæ ſubſtantiam nil eſſe aliud, quàm primum primigenium, & inſitum calorem, qui neq; adſcititius eſt, nec animalium ortu poſterior. Cuiuſmet ſententiæ auctores Stoicos 5. ſimplic. ſuperius adducto cap. nono laudare quoquopacto videtur, quos credidiſſe ait, animam natiuum eſſe ſpiritum, qui etiam innatus calor dicitur. Ad Stoicos autem aggregat Galenus Hippocratem 5. in 6. Epid. comm. toties citato. Cum autem 1. aphor. 14. dixerit Hippocratem ſuum ſequutum fuiſſe dogma, dum dixit in aphoriſmo, Senes paucis fomitibus, (quos Græci hypocaumata vocant) id eſt alimentis, indigere, & addat illa verba, & omnium ferè nobiliſſimorũ Philoſophorum, innuit ante Magnum Hippocratem alios extitiſſe, qui hoc ipſum docuerunt. Sed fortaſſe ante Hippocratem illud idem protulit Democritus, vir (vt auctor eſt Laertius) in rebus phyſicis exercitatiſſimus. Nam hic prorſus exiſtimauit animam aut ignem eſſe, aut calorem. Id quod apertiſſimis verbis illi aſcribit Ariſtoteles in 1. lib. de Anima, tex. 20. & Plutarchus in libro de Placitis Philoſoph. cap. 3. Vnde, Octaui eruditiſſime, niſi animæ particula extitiſſet, qua homo ratiocinatur, cognoſcit, & ſapit, nequaquam ſcio, an vnquã idem Ariſtoteles, & alij Philoſophi, præter omnem facultatem, & temperationem elementorum aliam animam ſupereſſe arbitrati fuiſſent. Quocirca illud, quod de humana mente à pleriſq; priſcorum Philoſophorum veriſſimè traditum eſt, eam nimirum eſſe elementorum qualitate & facultate qua-

cunq; superiorem, atq; maiorem, propter diuiniores quasdam ipsius functiones, hoc idem, nulla necessaria (vt mihi videtur) ratione adducti quidam alij de stirpium, & reliquorum animantium natura docuerunt. In quibus vnus Peripateticorũ Princeps est Aristoteles, cui nunquam persuaderi potuit, non aliud esse animam viuentium, atq; calorem. Qui tamen calor omnium actionum vitæ, ac sensus certissimus est minister. In secundo enim de part. anim. cap. 7. sic ait: Quod autem nonnulli statuunt importunè, animam esse ignem, aut aliquam eiusmodi vim; melius fortasse dixeris, animam in quodam eiusmodi corpore constare: cuius rei causa est, quod ad exequenda animę officia calor maximè administrandi vim habet: Cum enim officium animæ sit alere, & mouere, hæc ea ipsa facultate potissimum efficiuntur. Igitur animam esse ignem arbitrari, simile est, atq; si serram, aut malleum, fabrũ, aut artem fabrilem esse arbitreris: quia opus non nisi iunctis his efficiatur. Et in 2. lib. de ort. & inter. tex. 54. loquens de causis generationis, illosq; accusans, qui, sublata forma, vim omnem gignendi attribuebant qualitatibus, & virtutibus elementorum, ita scribit: Amplius autem (inquit) & potentias attribuunt corporibus, propter quas & generant, valde instrumentaliter, auferentes eam, quæ secundum formam est, causam. Quoniam enim natum est (inquiunt) calidum quidem segregare, frigidum autem congregare, & aliorum vnũquodque hoc quidem facere, hoc autem pati, ex his & per hæc, inquiunt, cetera gigni & interire. Et tex. 55. Amplius autem (subdit) consimile faciunt, ac

si quis

si quis serræ, & vnicuiq; instrumentorum tribuat, vt sint causæ eorum, quæ gignuntur. Quocirca nulli dubium esse potest, quin Aristoteles generationis effectuum naturalium, præter calorem, causam aliam superiorem & principaliorem posuerit, quæ in viuentibus anima ab ipso dicta est. Quamuis autem Aristotelis sententia, propter maximam ipsius auctoritatem, mihi aliquam probabilitatem habere, semper visa sit; tamen ad calculos veritatis redacta, & reuocata mihi semper suspecta fuit. Et hoc eò magis, quo diuini Hippocratis & Galeni sententiæ minus arridet. Multa enim sunt, quæ nos impellunt ad credendum innatum calorem cunctis viuentibus pro anima (detracta semper rationali, quę diuina est, & immortalis, & cœlitus in hominem delapsa) sufficere posse. Nulla autem sunt vsque adeo firma argumenta, vt animum meum in contrariam sententiam deducere valeant. Quare Galeni placitum firmiùs probare nunc aggredior. Et quamuis huiuscemodi prouincia satis ardua, ac perdifficilis sit; nihilo tamen secius, quia iucunda est, pulcherrimasq; continens contemplationes, & maximo vsui esse poterit ijs, qui potissimum vitæ conseruandæ veriora principia venari expetunt, & Galenum admirabilem, ac Philosophorum & Medicorum lumen splendidissimum, ab ijs detractoribus, qui eum animę ignarum esse adeo leuiter, adeoq; temerè & iniquè susurrant, vindicabit, eam liberiùs suscipiam. Sed priusquam ad eius sententiam rationibus comprobandam accedam, necesse est, vt prius, quidnam sit innatus calor apud ipsum, breuiter aperiam. Vt igitur possit quilibet ipsius essen-

tiam

tiā exactiùs percipere, scire ante omnia debet, quod, quemadmodum in nostro quoq; de febris & innati caloris natura longiori tractatu docuimus, innatum calidum, & innatus calor (qui etiam natiuus, insitus, naturalis, & vitalis dici potest) nō eandem rem significant. Nam calidum innatum, seu natiuum, insitumue, aut vitale substantiam quandam innato calore affectam, ac subinde concretum aliquod accidens, seu caliditatem quandam cum subiecto iunctam significat. De qua Galenus aduersus Lycum pro Hippocratis tutela scribens, ait esse substantiam quandam seminalem sanguineamque spiritibus & calore affectam. Calor autem innatus siue insitus, siue naturalis, vitalisue, siue ingenitus, aut etiam proprius vocetur, formam, & caliditatem quandam tantum in abstracto nobis indicat. Huius porro nominis distinctionem protulit Gal. 1. aphor. com. 14. hisce verbis: Hoc ipsum igitur verbum (calidum) aliquando transferimus ad qualitatem, cuius proprium nomē est caliditas: aliquando denominatiuè totum corpus dicimus calidum à caliditate: estq; hic modus loquendi plurimus in omni vita, & fuit apud antiquos, velut Theophrastus ostendit in eo libro, qui de calido, & frigido inscribitur. Hæc ipse. Cum itaq; in natus calor & innatum calidum dupliciter vsurpari soleat; ob id, si quis quęrat, an calor naturalis substantia calida & humida dici debeat, eò quia innatum calidum nomen videtur esse concretum, quod substantiam simul significat; sicuti calor nomen est simplex, ac simplicis qualitatis; huic possum respondere, calorem naturalem non ad se

trahere notionem substantiæ calore naturali, seu vitali præditę, in eo quod calor est, sed in eo & quatenus naturalis est. Calor enim naturalis, seu vitalis non est nudus ac simplex calor, sed est calor quidam affectus, & in quadam temperie constitutus, quæ temperatio tum substantialis est, tum accidentalis: substantialis quidem propter substantias aut elementorum, aut humorum (de quibus post dicetur) quę substantię miscentur ad temperamentum substantiale calidum & vitale efficiendū: Accidentalis verò, quia planum est in mixto cum substantijs miscibilibus accidentia quoq; misceri. Quare posthac per calorem naturalem non concretum aliquod, sed qualitatem in abstracto audiri volumus, ne nos ipsos in laqueum corporum seipsa penetrantium inuoluamus, eamq; subeamus difficultatem, qua premuntur illi, qui formas substantiales & corporeas elementorum actu ponunt in misto, illasq; omnes in omnibus misti partibus esse affirmare coguntur. Ad pensum verò redeuntes, dicimus, calorem hunc in prima sui origine elementarem esse, sed ita attemperatum, vt omnia viuentis munia possit obire. Hippoc. enim in 1. de natura humana apertè declarauit, nedum nostrę generationis, verum etiam omnium, quæ generationi corruptioniq; sunt obnoxia, quatuor elementa esse, quæ ab efficacissima eorum qualitate calidum, frigidū, humidum, & siccum nominauit. aut, si volumus, vt Galenus inquit, ab essentia magis, quam qualitate nominasse, ignem, aquam, aerem, & terram nominabimus. Ex his quatuor primordijs vult in animalibus sanguineis alia quatuor elementorum

genera

genera procreari. Sunt autem sanguis, pituita, & vtraq; bilis. Sed quia sanguis viuentium sanguineorum naturæ conuenientissimus est, & eorum est familiarissimum alimentum, ex æquabili quatuor elementorum temperie exquisitus generatur; & aliorum omnium humorum est particeps, vti Gal. in lib. de Plenitud. nos docuit. Sed quia viuentia sanguinea sunt plurimo referta calore; calor autem in spiritibus vt in proprio subiecto residet, vti spiritus in humore & sanguine; Ideo sanguis non solum ex reliquis humoribus, sed potissimum ex aere, & spiritu copioso conflatus est. Ex sanguine verò fit semen, tanquam proximius adhuc nostrę generationis, & nutritionis elementum. Sed semen ex Arist. 2. de Generat. animal. 3. ex sanguine & spiritibus, & subinde ex quatuor illis primis elementis conflatur. Ergo tota hominis natura ex quatuor elementis constat, & proinde calor innatus, quem etiam naturam, vt superius dictum est, Hippoc. vocat, elementarius est. Eandem veritatem confirmat Galenus lib. de Fœt. format. dũ ait, influentem calorem ex sanguine, aere, & assumptis alimentis genitum, & subinde elementalem, innatum, siue complantatum fouere tanquam sibi similem: Et primo de Tuend. Sanit. cap. 2. & libr. de Marcor. cap. 4. idem Galenus eandem veritatẽ apertè docuit: Sed clarissimè prima aphoris. 14. vbi innatum calidum ex quatuor elementis mixtum esse tradidit. Ipsum autem esse frigiditate refractum & attemperatum docet lib. de Rigor. cap. 6. dum ait, ipsum ex duplici qualitate constare, altera calida, altera frigida, à quibus duplicem habet motũ.

Quod tamen sano modo intelligendum est, & ipsũ non simul calidum & frigidum, sed temperatum esse, etiamsi caliditas frigiditati prępolleat, vt infrà exactiùs declarabitur. Nam ad superiora (ait Galenus) exterioraq; lationem, & (vt ita dicam) à suo principio explicationem habet, quòd natura calidus sit: intrò autem fertur, & deorsum, hoc est, ad proprium principium viam init, quoniam frigidi aliquatenus particeps est: quippe ex calido & frigido temperatus. Prima sanè calidi ratione sua sponte mouetur; atq; hoc potissimum ad actiones indiget: magnum tamen ipsi vsum & frigidum exhibet. Solet enim calidum in sublime attolli, ac cum eo alimentum adducere: si autem frigidum non obstaret, etiam longissimè procederet. Fit autem frigidum huiusmodi caloris motui impedimento; ne dispersus aboleatur: quippe periculum est, ne ipse præ leuitate; & impetu sursum à corporibus discedat: sed frigidum retinet, impeditque, & vehementiam nimij huius motus tollit. Hęc ille. Attemperatio autē ista, tanquam ab agente pręcipuo, à cordis virtute fit, quia, ex omnium sententia, est innati caloris fons, & scaturigo, & sui proprietatę, caloreq; sibi proprio, spiritum vitalem creat, ac attemperat perenni illo duplici motu dilatationis & constrictionis. Cum autem innatus calor duplex sit, vt mox apparebit, & vt Galenus docet, influens nimirum, à corde manans, & insitus; vterq; in corde gignitur; sed influens, post ortum, & fœtus efformationem, in proprio fœtus corde: insitus qui in semine potissimum, & sanguine menstruo residebat, & post ortum in solidis partibus, & primùm, ac principaliter

ter

ter in corde,& humido primigenio, radicaliue ſitus eſt, penes prima germina in corde parentum. Dixi penes prima germina atq; principia, quia poſtea ab influente calore,& alimentis,& ſubinde à geniti fœtus corde fouetur & conſeruatur, & augetur. Ex quibus caloris innati ſubſtantia, ſubiectumq; facilè patet. Vt enim habemus à Galeno primo de natur. hum. com.39. primo de tuenda valet. cap.2.& primo de elem. libro, principaliter in ſpiritibus reſidet. Spiritus verò in ſemine & ſanguine, necnō aliqua ex parte in triplici ſolidarum partium humiditate continetur: Sed maxima pars in humoribus & ſanguine ipſo, vt affectus ille, quem ſyncopen vocamus, in quo propter repentinam caloris in cor retractionem, totum corpus algidum remanet, nobis clarè patefacit. Quare ſicuti calor in ſpiritibus ſubſiſtit, ita hi in ſemine & ſanguine,& humida ſolidarum partium humiditate continentur, vti Gal. 5. in 6. de vulg. morb. com.30.& 5. ſimpl. cap. 9. ſcriptum nobis reliquit. Quod ſi 4. in 6. eiuſd.lib. de vulg.morb. com.25. aſſeruit in ſanguine,& ſanguineis viſceribus eſſentiam habere, id intelligere debemus tanquam in principijs quibuſdam,in quibus magis affluenter reperitur, & præſtantiores operationes expromit. Sed hęc de innati caloris natura mihi dixiſſe non ſufficit; ſed vt ad ea, quæ dicturus ſum, altiora mihi ſuppetant principia, ſcire expedit,quòd quamuis Galenus ad ſimplices huius innati caloris differentias reſpiciens, duas tantum poſuerit, nimirum inſitum, & influentem, vti dictum eſt; nihilominus, ſi quis tertiam addat, quæ ſcil. ex vtriuſq; mixtione ſiue coniunctione oritur,

 à veritate

à veritate non aberrabit. Quod enim triplex differentia caloris natiui statui possit, & ratione ipsa, & naturalium Philosophorum auctoritatibus probari potest. In perfectis enim, & sanguineis animantibus primus calor reperitur, vti diximus, quem insitum vocant, qui non est animantibus proprius, sed omnibus mistis communis. Omnis enim mistio istius caloris vi conflatur, quia mista per concoctionem ex 4. meteororum generantur. Concoctio verò à proprio & innato fit calore. Ab eiusdem quoque caloris actione seruantur mista; quo deficiente, dissoluuntur, vt in putrescentibus patet. Talem ergo calorem proprium, & innatum, & insitum habent in animali partes similares, ac simplices, ex quibus corpus vniuersum, & organica membra constituuntur. Hanc veritatem nouit Auerroes, qui 4. & 5. Collig. de eo loquens ait, quod in simplicibus corporibus animantis est suus calor, qui à natura illis in primo ortu insitus est, & ex elementorum mixtione, vnde illæ genitæ sunt, habetur: Qui nō est vnius naturæ in omnibus mistis, nec in omnibus simplicibus particulis animantis; sed pro earum varietate varius. Alterius enim est naturæ natiuus calor carnis ab eo, qui est ossis, & sic de reliquis. Est & alius modus, siue differentia caloris naturalis, non amplius mistorum communis, sed perfectorum in primis animantium proprius. Cum enim calor præ ceteris qualitatibus sit magis actiuus, ideo omnes mixtorum formę (quæ tamen non diuersæ, sed eædem sunt cum proprio suo naturali calore) proprias edunt operationes per suum proprium naturalem calorem. Vt enim per eum gignuntur;

ita per eundem operantur. Quo verò formę nobiliorem obtinent gradum, eò plures, ac perfectiores (vt fusiùs in primo nostro libro de occult. & venen. morb. docuimus) habent operationes: vnũquodq; enim est propter operationem propriam. Quanto verò plures, ac perfectiores edunt operationes, tanto illis plus caloris opus fuit. Cum autem nullum mistum corpus animali, præsertimq; sanguineo perfectius sit, nec plures, ac perfectiores functiones sit sortitum, ideo natura illi liberaliorem caloris copiam fuit elargita. Vnde sola animalia, inter mixta, calida actu reperiuntur, & citra externum calorem alia calfacere possunt, vti in his, qui frigida ventriculi intemperie laborantes, Galeni consilio 7. meth. med. paruos catellos, aut alia huiusce generis animalia, sibi admouent, manifestè cernimus. Reliqua verò mixta, vt 4. collig. inquit Auerroes, externo egent adiuuante, siue actuante calore, vt alia calfaciant. Ergo natura animantibus, præter insitum mistis alijs communem, influentem quoq; indidit à corde manantem, qui priorem augens & fouens, est veluti sedes ac proximum vitæ principium, sine quo vita consistere non valet. Huius verò influentis caloris substantia & natura in sanguine & spiritibus (vt dictum est) consistit, ex Hippoc. & Galen. 8. de Placitis, cap. 7. Hic autem influens calor vnà cum spiritu, in quo subsistit, cum ad vnamquamq; particulam fertur, illi proprius fit, & cum insito illius particulæ, qui exiguus est, calore miscetur, & ex ambobus fit vnus calor, tanquam ex materia, & forma. Nam influens à corde manans formæ rationem habet: insitus ex prima ele-

mentorum

mentorum miſtione ortus materię rationem ſubit. Ex quibus patet in perfectis animantibus tria eſſe, quę ad naturam innati caloris pertinent, ſcil. ſpiritum, ſanguinem, & calorem, qui ſolidarum partiũ eſt proprius, ſiue ſit ex prima elementorum miſtione ortus, ſiue ex duplici calore conflatus. Influens enim vocatur, qui in ſpiritibus, & ſanguinea maſſa continetur, & à corde per arterias, & venas, quæ cum arterijs per anaſtomoſin connectuntur, in vniuerſum corpus diffunditur. Inſitus ac innatus, ſiue etiam primigenius dicitur, qui in ſolidis eſt particulis, & vnà cum animantis natura gignitur: Sicuti tertius ex vtriſque mixtus, actuatus nuncupari ſolet. Si quis autem quæreret, an calor hic ex vtriſq; conflatus, quem etiam actuatum uocant, ad membrorum ſubſtantiam pertineat, necne; quia videtur, ipſum ad ſubſtantiam partium pertinere non poſſe, cum ipſo corrupto, & extincto, aut inanito, partis nihilominus, vt oſſis, aut nerui, aut alterius partis, ſubſtantia & natura remaneat: Huic ego reſponderem, ipſum ad membri ſubſtantiam pertinere non ſolum quatenus membrum eſt; verum etiam quatenus miſtum. Non tamen arbitrandum eſt, me velle affirmare, quòd, deperdito partis calore, vniuerſum mixtum ita diſſoluatur, vt abeat in materiã primam. Quod dixi, ſic declaro: Membrum idcirco membrum eſt, quia animæ famulatur, vitæq; ac ſenſus munia exequitur. Quocirca dicimus illud, calore deperdito, partem aliquam corporis tunc amiſiſſe, quia ea ad motum, & eum præſertim, qui membro naturalis eſt, vti nequit: ſed inſuper interit quoq; membrum quatenus mixtum eſt, non tamen,

men, vt quoquo modo mistum est; sed vt uitali mistione mixtum est. Neq; credendum est, hanc vitalem mistionem afferre, verbi gratia, neruo nouam substantiam corpoream; sed præexistenti substantiæ corporeæ, quæ ex elementis conflatur, prædominium tantum adducit elementi ad vitam apti, cum vitalium qualitatum attemperatione, quæ est animantium vita in actu primo. Qua ratione optimè potuit Galen. 1. aphor. com. 15. & lib. 4. com. 37. vsurpare calorem naturalem pro animantium natura. Et Auerroes in comment. paraphrast. quarti Meteor. dixit calorem naturalem formam esse eius, cuius est calor. Quamuis autem suspicari possimus, Auerroem non voluisse, formam substantialem esse; tamen infrà ostendemus, ipsum cunctorum viuentium formam esse, vno excepto homine, cuius solius forma & anima diuina est & immortalis. Ex his autem, quæ à nobis longiori sermone de innati caloris natura declarata sunt, possumus, pro exacta ipsius notitia per quoddam veluti corollarium colligere, ipsum sui natura humidum, ac subinde à prædominio aereum esse. Siquidem eius quoque substantia, ex Galeni testimonio sect. primæ aphoris. 14. aerea est & aquea, sicuti ex semine licet coniectari (inquit ipse) quod paucam omnino terrenam substantiam participat, plurimum autem aeris calidi humidiq; in seipso continet, quemadmodum in commẽtarijs de semine ostensum est. Iam verò & alterum nostrę generationis principiũ, sanguis menstruus, humidum natura est. Et 5. simplicium, cap. 9. de pus mouentibus medicamentis verba faciens, & potissimum de his, quæ admodum

excal-

excalfaciunt, ex hoc (inquit) fit, vt natiui caloris substātia diminuatur, sed qualitas intendatur (sub istis scil. valde calfacientibus) quorum neutrum fieri expedit: verum halituosum & calidum spiritum contineri quamplurimum, & ad vnguem caliditate symmetrum (talis autem aer est) quippe cū hic in pueris copiosissimus omnes naturales actiones adaugeat. Et paulo infrà, Verum nihil prohibet, subdit, sanguineam substantiam, simulq; aeream, aut etiam (vt alij transferunt) seminalem vnà cum spiritu calidum inaudire innatum. Superius quoq; multoties ex eiusdem auctoritate dictum est, innatum calorem in sanguine & semine, & spiritu, in partium humiditatibus, imò & in sanguineis visceribus residere: quæ omnia calida sunt & humida. Quod etiam ex eo demonstrari potest, quia, si omnia ex ijs nutriuntur, augentur, & conseruantur, ex quibus constant, innati caloris substantia ex aere per os & pulmones, & sanguine ipso (sui natura humido, & aereo, ac temperatè calido) in sinistrum cordis ventriculum attracto gignitur, resarcitur, & iugiter quoad vsq; vita perdurat, conseruatur. Hæc autem infrà; in proprio magis loco, & ipsius Aristotelis auctoritatibus, & pluribus rationibus demonstrabimus; quæ quanti ponderis futura sint ad diluenda aduersariorum argumenta, infrà, suis in locis, apparebit.

Naturalem

Naturalem calorem eas omnes functiones in viuentibus expromere posse (vna tamen rationalis animæ excepta operatione) quas ipsammet animam edere voluit Arist. & primum illas, quæ ad animam attinent vegetalem. Caput. xi.

NAturalis viuentium caloris essentia exactè, ni fallor, declarata, reliquum est, vt ad propositũ nobis scopum properemus, & duo potissimum absoluamus: quorum primum erit, validis rationibus probare, huiuscemodi calorem ab animæ substantia nullo pacto diuersum esse: Alterum erit, omnes illas rationes & ambiguitates infringere, quas tum idemmet Arist. in 2. de Anima, tum alij eius sectatores aduersus Hippoc. & Galenum, innatum calorem animam esse asserentes, iactare consueuerunt. Inter rationes autem, quibus valemus probare hunc calorem, animam esse viuentium, prima atq; pręcipua erit, si aperiamus, quo pacto, & quã facilè, idemmet naturalis calor, in quocunq; viuentium genere, ea omnia officia præstare valeat, (intellectus tamen ac rationalis animæ excepto munere) quæ Lycæi princeps Aristot. ipsi animę voluit esse tanquam agenti præcipuo accepta referenda. Mox alias rationes, & , vt puto, non minoris roboris apponemus. Ad primam quod attinet, cum præter ratiocinationem & intellectionem, duo sint in viuentibus functionum genera, quorum vnum ad vegetalem; alterum ad sentientem animam siue facultatem refertur, ac pertinet: id primum in vege-

N tali,

tali, mox in ſentiente facultate probabimus. Vegetalis porro potentiæ tres ſunt operationes præcipuæ, nimirum nutritio, accretio, generatio, & cauſa nutritionis aliæ nonnullæ famulantes ab omnibus dictæ, vt attractio, retentio, concoctio, expulſio, appoſitio, agglutinatio, aſſimilatio. De his igitur omnibus ſummatim loquens Galenus lib. de Marcore, cap. 3. dum aduerſus illos inuehitur, qui falſo à natiuo calore corpora noſtra, vt ab igni ligna, conſumi arbitrabantur, hunc in modum ſcribit: Animantia omnia, inquiunt, illi, nuper genita, vt etiã ſtirpes, humida ſunt: ideoq; calor tanquam humoris copia ſuffocatus, ſeſe vix attollit, eſtq; caliginoſus tardusq; & ægrè mouetur: tractu verò temporis, cum hnmoris illam vim ſuperat, tum verò cuiusq; materiæ dominus euadit. Itaq; nec caliginoſus, nec turbidus, nec fumeus eſt, ſed purus, ętheręusq; effectus, omnes ſuas motiones ſine vllo impedimento obit: &, vt vno verbo complectar, vt flammæ, cum in humida ligna inciderunt, principio quidem ferè obruuntur, & quaſi extinguuntur; quippe quę & exiguæ & imbecillæ admodum ſunt; progreſſu verò temporis paulatim emicant, & creſcunt, paulatimq; materiam ſuperant; tandem cum totam materiem ſuperarint, in magnitudinem ingentem attolluntur; qui ipſarum vigor, roburque eſt; tum verò, alimento mox deficiente, marceſcũt, & extinguuntur: Eodem etiam modo, inquiunt, noſter calor animalis corpori, ceu materiæ cuidam, inditus, principio quidem humidus imbecillusque eſt, & vsq; ad florentem ętatem auctus emicat, & augetur, & ad ſummam euehitur magnitudinem,

ignisq;

ignisq; flammam imitatur: hincq; alimenti inopia sensim marcescit: estq; id senium: mox penitus extinguitur, idq; mors est. Hæc ratio omnibus ferè recentioribus & Medicis, & Philosophis probatur: quæ tamen (subdit Galenus) meo iudicio, vera nõ est, vtpote quã flamma ignis animalium calori cõparetur. Ac ne illud quidem sentiam, qui ea vtuntur, flammis ortum esse ex corruptela eius materiæ, ex qua accenduntur: Animalia verò non illa calorem natiuum ab eo, qui ipsa effinxit, nacta esse; sed vt ab eo augerentur, & gubernarentur. Neq; vllũ est tempus, in quo innatus in nobis calor per vniuersam hanc materiam non diffundatur, ijs nõ modo viribus præditus, quibus animal effingit, sed alijs etiam permultis. Nam & alimentum ad se trahit, & materiam dispensat, & apponit, & agglutinat, & assimilat, &, vt summatim dicam, omnia secus, quàm flamma, in materia sibi innata efficit. Et quænam vnquam flamma materiam, cui indita est, adauget? ecquę materiæ potius alimentum assimilat, quam sibi ipsi materiam? ecque tot macchinationes conseruandæ materiæ causa adinuenit? Nam partes quasdam circumuestiuit, ac clausit, ne quid exterius exuperet: quasdam perforauit, ac dilatauit, canalesq; induxit, quibus modo alimentũ, modo refrigerationem, spiritumq; traherent. Simul etiam excrementa per alios crassa, per alios tenuia extrudit. Omnem profectò de vsu partium tractationem imprudens transferam, si omnia naturę opera deinceps recensuero. Quanquam hujus opinionis principes idem esse natiuum calorem, & naturã dicunt. Sed non rectè ipsum flammæ assimilant,

& comparant, & corpora ab ipso corrumpi arbritrātur. Idem insuper Gal. 1. aph. com. 15. de eodem innato calore loquens, Hic igitur, ait, cum sit omnium operum naturalium causa (inquit, causa, non instrumentum) quia copiosior est hyberno tempore; idcirco, vbi appetentiam intendit, coctiones auget, & plus sanguinis accumulat, & crassius corpus efficit, & vt superfluitates excernantur, prouidentiam habet. At calor circumfusus non modo superfluitates, sed æqualiter omnia euacuat, materiam inutilem, & ea etiam, quę in corpore secundū naturam continentur vnà dissoluens per eam, quæ à Medicis occulta difflatio nominatur, quam calor innatus efficit. Neque enim aliud quicquam est natura animalium præter hoc calidum, ex Hippocratis opinione. Ostensum autem à nobis est in commentarijs de viribus naturalibus, naturam nō solum appetere, conficere, agglutinareq; singulis partibus proprium alimentum, sed & huius quoq; superfluitates discutere. In libris autem de crisibus idem statuit vnà cum Hippocrate eundem innatum calorem in morbis crises, siue iudicationes moliri. Quod quidē, sine præuia superfluorum concoctione, ab vtiliumq; separatione, & eorundem retentione, & meatuum referatione fieri nullo modo potest. In summa innumera pene huius eximij viri loca possem afferre, in quibus eadem innati caloris opera admirabilia recensentur, quæ si vellem tantummodo per capita percurrere, tempus me deficeret, & opus hoc, cuius breuitati maximè studeo, in maiorem, quam æquum sit, molem excresceret. Sed videre videor Aristotelis confœderatos hac in

re

re Galeni auctoritatem deridere. Quocirca rationibus res est agenda, nisi vna & ipsiusmet Philosophi auctoritate pugnare velimus, cum apud quosdam nulla sit aut Medicorum, aut Philosophorum vox Aristotelis dignitate & opinione inferior. Cum igitur, ex eiusdem & omnium sententia, caloris proprium sit attrahere, frigidi verò repellere, &, vti dictum est, innatus calor ad temperiem redactus è duplici conflatus sit qualitate, altera calida, altera frigida, vti cum Galeno libro de Rigor. cap. 6. superius probatum est, quis inficiabitur, ipsum & attrahere, & expellere posse? Sed frigidam mittamus qualitatem, accipiamus innatum calorem, quatenus tantummodo calor est. Si itaq; sensui patet, quàm plurima inanima corpora, atq; mixta, merito proprietatum, quę ex eorum formis emergunt, nedum attrahere, verum etiam euidentissimè expellere posse, etiamsi alia eis instrumenta, pręter sibi congenitam proprietatem, non suppetant, vti de lapide Magnete patet: Si aliæ admirandæ ab ijsdem inanimatis mixtis prodeũt proprietates, quæ ab eorum formis ac determinatis téperationibus prodeunt, vti fusiùs in nostro de occultis, ac venen. morbis à nobis demonstratum est; quo modo à pari, imò magis innatus calor in corporibus viuentibus, merito præcipuorum organorum excellentiora, ac diuiniora pręstare non valebit? Relata fuit superius Auerrois ipsius Aristotelis pręcipui sectatoris sententia 4. & 5. colliget; vbi de hoc eodem calore loquens scribebat, quòd in simplicibus corporibus animantis est suus calor, qui à natura illis in primo ortu insitus est; & ex elemen-

torum mixtione, vnde illę genitæ sunt, habetur. Qui non est vnius naturæ in omnibus mixtis, nec in omnibus simplicibus particulis animantis, sed pro earum varietate varius. Alterius enim est naturæ natiuus calor carnis, ab eo, qui est ossis, & quæ sequuntur. Si sic, quis mirabitur, calorem innatum rectis, exempli gratia alicuius determinatæ partis fibris attrahere; ratione obliquarum, aut etiam transuersarum retinere, & expellere posse? imò quid prohibet, longiori tractu ipsummet quod traxit, diutius retinere, & retinendo exactiùs apponere, & merito fibrarum, quæ in alimento sunt, agglutinare, & tandem simplici alteratione perdurante, & partis proprietate mediante, assimilare posse? Assimilationem verò nutritio de necessitate subsequitur. Vbi autem calor hic vberior & vegetior existit, vt maior ab eo fiat alimenti confectio, quam humidi fiat resolutio, atq; digestio, vt in corporibus, & animatis, quæ augentur, cõtingit, nutritioni accedit accretio. Ita facultatis formatricis munia obire posse natiuum calorem, & subinde animatorum formas ac species siue ideas ex semine procreare, inde elici potest, quia si verum est, quod ex antiquorum Philosophorum decretis tradidit Aristot. 8. Physic. text. 55 nimirum, rarum, & densum rerum omnium communissima principia statui posse: quod etiam mox in tex. 77. confirmare videtur; qui etiam voluit cũ suo præceptore Platone consentire, qui x. de legibus ait, localem motum esse primum omnium; ex eo autem consistere concretionem, & secretionem, ex quibus fieri inquit augmentum, & diminutionem: sicuti tandem ab augmento ait consistere generationẽ:

à dimi-

à diminutione autem interitum: Si, inquam, hęc vera esse censuerunt Antiquiores Philosophi, & vt quidam tradunt; vnà cum ipsis idem censuit Aristoteles, verissimum quoq; est, calorem qualitatem esse, quæ, ex omnium sententia, rarefaciendi vim habet, sicut frigus densandi: Vnde sicuti densum redigitur ad frigidum; ita rarum ad calidum. Sed, vti superius cum Galeno ostensum est, innatus calor ex duplici hac qualitate, calida, videlicet, ac frigida attẽperatus constat, & proinde huiuscemodi muneris principalis minister statui potest. Amplius, si calor, quatenus calor est, perpendatur, huic, vt Aristoteles est auctor 2. de Generat. & corrupt. tex. 8. naturaliter competit, vt congreget homogenea, siue similia, & disgreget heterogenea, siue dissimilia. Calidum enim est, inquit, quod congregat ea, quæ sũt eiusdem generis. nã secernere, quod tribuitur igni, nil est aliud, nisi congregare ea, quæ sint eiusdem generis. per id enim secernuntur aliena. Sed semẽ heterogeneum est & dissimile. Licet enim à prædominio, & penes partem formalem, vt in nostro tractatu de læsa seminis generatione diximus, aereum sit, ac spirituosum, & homogeneum; tamen penes materialem portionem est aliorum omnium elemẽtorũ particeps, quia fit ex sanguine, qui ex quatuor constat primis corporibus. Quo circa calor in huiuscemodi semen agens propria facultate potest omnes partes similares ipsius fœtus ex semine singulatim congregare & vnire, atq; perficere, & ea, quę dissimilia sunt, secernere. Cum autem frigus sit illud, quod, vt ait Philosophus, loco citato, sine discrimine nectit & congregat, cum ea, quæ sunt eiusdem,

tum

tum ea, quæ sunt distincti generis, facilè sequitur, vt huius merito ex similaribus partibus prius caloris ope secretis, mox congregatis organicæ ac dissimilares deinde partes conficiantur, imò & ex his vniuersum corpus integratum consurgat. Sed video eos, qui in Aristotelis doctrina uersati sunt, & eum tueri contendunt, mihi obijcere posse, calorem ipsũ non nisi calorem posse generare. Quod si concedamus natiuus calor animalium formas, quę sunt substantiæ, procreare nullo pacto poterit. Quibus primum possum respondere in hac argumentatione principij petitionem fuiße factam. Ponitur enim ab eis tanquam certum, animalium formas esse substantias, cum tamen à nobis accidentia esse mox probandum sit. Sed demus esse substantias, nullius tamen ponderis ipsorum est argumentum. Nam calorem per se producere formas & sensitiuas & vegetatiuas est sensui notissimum. Quemadmodum in quàm plurimis tum herbarum, tum animalium generibus, quæ ex putri materia oriuntur, experientia, & ipsis oculis quotidie cernimus. Harum autẽ stirpium & animalium ex putri materia genitorum causam aliam procreatricem præter calorem ipsum excogitare ac fingere puto hominis esse & vitali calore, & mente destituti. Huius autem veritatis longiorem probationem hoc in loco quis non expectet, cum illam in secundo nostro Totius Medicinæ libro, in cap. de Vermib. exactiorem adinuenire valeat. Qninimò hoc ipsum inficiari non potuit Aristoteles in 4. lib. de gener. animal. cap. vlt. Id enim testatus est his verbis: Est (inquit) & Luna principium, propter eam, quam habet cum Sole communionem,

munionem, participationemq; lucis: Fit enim alter Sol paruus. Ita rerum omnium generationibus absolutionibusq; concludit: Calores enim, ac frigora quodammodo temperata generationes efficiunt: à temperatione verò cum discesserint, interitus. Sic porro principij ac finis terminum adferunt horum astrorum conuersiones. Ex quibus verbis liquet, Aristotelem probare iccirco Lunam principium esse generandi, tanquam alterum Solem paruum, quia caliditates gignat rerum procreatrices; vt iam dicere possimus, non idcirco produci rē viuentem à calore naturali, quia vim hanc acceperit ab anima viuentis. Hoc enim falsissimum esse in multarum rerum viuentium generationibus experientia, & sensus docet. Sed quia calor hic, qui est aut in semine, aut in natura, coniungitur cum lucis calore; quę lux cum sit mobilis cœli, & proinde illius corporis, quod à viuente intelligenteque principio mouetur; multa valet producere, quæ per seipsum ac solus gignere non posset. Quam veritatem & ipse Galenus optimè nouit, qui 17. de Vsu part. cap. 1. ita scriptum reliquit. Quis igitur (inquit) adeo est demens, aut operum naturę inimicus, qui non ex cute statim, & ijs, quę primum occurrunt, artem opificis intelligat? Quis non statim animo concepit, mentem esse quandam, quæ vim habeat admirabilem; quæque terras omnes peruadens in omnes eius partes extendatur? Vbique certe animalia procreari videas, quæ constructionem habent admirabilem. Quanquam quænam vniuersi pars terra est ignobilior? Attamen mens quædam cernitur ad ipsam à supe-

rioribus corporibus perueniſſe, quæ ſi quis contemplatus fuerit, ſtatim ſubſtantię pulchritudinem admirabitur: primùm, ac maximè Solis, poſt ipſum Lunæ, deinde ſyderum, in quibus par eſt, quanto corporis ſubſtantia eis eſt purior, tanto etiam mentem inhabitare meliorem ac perfectiorem ea, quæ in corporibus terreſtribus habitet. Et paulo poſt inquit: Cum igitur in tanta colluuie (loquitur de hominis elementis) mens adueuiat adeo eximia, quantam putandum eſt eſſe eius excellentiam in Sole, Luna, alijsq; ſyderibus? Mihi quidem dum hæc mente reuoluo, non exigua quędam mens eiuſmodi per ipſum etiam aerem nos ambientem videtur eſſe extenſa. Fieri enim non poteſt, cum lucis ipſius Solis ſit particeps, vt non etiam vim ab ipſa aſſumat. Ex quibus Galeni verbis neſcio, an huius decreti exactior probatio reperiri queat.

Calorem innatum animæ ſenſitiuæ functionum primum eſſe auctorem & auctoritatibus, & rationibus probatur. Cap. XII.

HIs de functionibus, quæ ad animam, ſiue facultatem attinent vegetalem, explicatis, remanet, vt ad alterum functionũ genus pergamus, quod ad ſentiẽtem animam, ſiue facultatem refertur, ac pertinet: Et tum auctoritatibus, vt de prioribus factum eſt, tum rationibus comprobemus, natiuum animantium calorem omnes ſentientis facultatis operationes obire per ſeipsũ facilè poſſe. Vna porrò Galeni auctoritas habetur in libro de format. fœtus in vtero, cap. vlt. Quo in loco poſtea quam

multa ad animæ cognitionem attinentia, & præsertim ad eius æternitatem & incorporeitatem spectantia sub dubio reliquit, hoc pro sibi certo, & firmo concludens, Tantũ igitur, inquit, hoc habeo, quod de causa animalium formatrice asserere posse confidam, quod summa in ea ars, summaq; sapientia inesse conspicitur; quodq;, posteaquam formatũ corpus fuerit vniuersum, id in toto vitæ curriculo tribus motuum principijs; ex cerebro per neruos & musculos, ex corde per arterias, è iecore per venas gubernetur. Quę tamen sint hæc principia, manifestè non sum ausus constituere. Id quod cum alijs in libris declaraui, tum in eo præcipuè, qui est de animæ speciebus, animę substantiam vbiq; veritus definire. Neque enim corporea sit anima, an incorporea; ęternane prorsus, an corruptioni obnoxia, linearibus atque exquisitis demonstrationibus vsum quempiam inueni. Si itaq; superiori capite à nobis ostensum est, causam animalium formatricem nullam aliam esse præterquam innatum calorem; ergo & idem corpus animalis iam efformatũ penes omnes ipsius functiones reget, & gubernabit. Neq; poterunt Aduersarij hanc Galeni auctoritatem aduersus nos retorquere dicentes summam artem, & summam sapientiam in calore ac simplici qualitate excogitari ac mente concipi non posse, cum tamen ex Galeni verbis id necessario colligatur; quia in superiori capite declaratum, demonstratumq; est, & experientia, & ipsius Aristotelis auctoritate firmatum ac roboratum, calorem naturalem, qui in semine, aut viuente & in natura inuenitur, quatenus coniungitur cum lucis calore, quæ

eius corporis est, quod ab intelligente principio mouetur, tum animalia, tum alia multa procreare posse. Dum autem dubitat in hoc eodem loco, quænam sit animæ substantia, & an ęterna, & incorporea, vel corruptibilis, corporeaque, id proculdubio audiendum est de anima communiter accepta, & prout de rationali quoq; animę parte prædicatur, vti sæpiùs superius à nobis fuit declaratum ac repetitum. In eodem pariter capite paulo suprà scribebat: Cum enim audio quosdam Philosophos dicere, materiam animatam, quę ab æterno est, in ideas respiciendo, seipsam excolere, atque informare, magis adhuc intelligo, vnam oportere esse animam, quę & nos formet, & singulis membris vtatur. Et 5. in *6.* de vulg. morb. com. 5. inquit Hippocratem innato calori corporea opera præcipuè accepta referre. Quamuis autem idem Galen. 1. aphor. 14. innatum calorem vitę primarium auctorem ex Hippocratis mente nuncupauerit, & sequenti commento videatur asserere ipsum etiam appetere, non debet tamen iunior in hoc decipi, & inde elicere, ipsũ sentire, quia nempe sensus, & appetitus sola ratione, non aut re & subiecto differant. Nam hoc in loco videtur potius Galeni verba ad naturalem, non autem ad animalem appetitum accommodari posse. Sed quid immoror, cum millies Galenus ex Hippocratis mente nobis scriptum reliquerit, calorem innatum omnium animalium operationum præcipuum auctorem esse, & corpora nostra tueri; & illudmet principium, quod nos effinxit & efformauit, nos quoq; toto vitæ curriculo gubernare. Neque nos perturbare debet Galeni auctoritas in

2. lib.

2.lib.de mot.muscul.cap.5. vbi videtur naturalem motum ab animali motu distinguere, & actiones naturę ab actionibus animæ; quia tunc Galenus vult secernere motum simplicem naturalem, qui ad animam pertinet vegetalem, ab ipso motu voluntario, qui ad animam spectat sensitiuam: Qui tamē & ipse ab animali spiritu proficiscitur, qui in cerebro & neruis subsistit, in quo suus peculiaris, ac proprius innatus calor reperitur, in cuius virtute motus omnes voluntarios expromit. Quinimò ipse quoq; Aristot. omnium actionum vitæ ac sensus calorem innatum certissimum ministrum esse voluit. Quamobrem in 2. de partib. animal. cap. 7. superius adducto his verbis loquitur: Quod autem nonnulli importunè statuunt, animam esse ignem, aut aliquam eiusmodi vim, melius fortasse dixeris animam in quodam eiusmodi corpore constare, cuius rei causa est, quod ad exequenda animæ officia calor maximè administrandi vim habet. Cum enim animæ officium sit alere, & mouere, hæc ea ipsa facultate potissimum efficiuntur. Quare Aristoteles quoq; hanc veritatem fateri veritate compulsus fuit. Nam, vt infrà apparebit, verissimum quoq; est, innatum calorem, non ignem vel igneum esse, nec igneam facultatem habere, sed potius aeream, & attemperatum. Verum auctoritates, tanquam minoris momenti, missas iam faciamus, & ad rationes, in quibus longè magis confidimus, veniamus. Incredibile profecto est, inquiunt isti, qui in Aristotelis auctoritatem ac verba iurarūt, appetitum & imaginationem, & memoriam, & amare, & odisse, & irasci, & alias huiuscemodi ani-

mę

mæ passiones, quæ in animalibus fieri cernuntur, ab innato calore effectiuè prodire. Maiora uidentur hęc esse, quam vt à calore innato gigni & obiri possint. Sed sciant isti boni viri, verissimum esse, quod istę omnes functiones procul omni dubio nō sunt effectus caloris, sed habentis calorem & animā. Quamuis aūt calor vt calor nō possit hæc omnia præstare & efficere; pōt nihilominus hęc omnia producere, quatenus nālis est, & corpori annexus, hoc est, vt clariùs me explicem, vt est tali modo tēperatus, & cum peculiaribus suis organis ac proprijs spiritibus certa quadam ac determinata attemperatione præditis, copulatus. Nam neq; anima apud Aristotelem, si sit substantia quædam, sola producere valet huiuscemodi operationes, quatenus scil. solitaria est: Sed prout est in tali materia & organo constituta, cui dubium, quod omnia præstat, quia operationes organorum sunt, inquit Philosophus. Et quod dicimus de anima cum Aristotele, idipsum de natiuo asserimus calore. Tantum enim principiū effectiuum istarum operationum non debemus arbitrari calorem esse, sed totum, & aggregatum ex innato calore sic attemperato, & organi temperamento ac conformatione peculiari, & habilitate, siue aptitudine coniunctum & complicatum. Quinimò quamuis diceremus calorem esse pręcipuum harū functionum per se productiuum, minimè tamen mirandum esset, cum non sit operatio nobilior forma, à qua operationes illæ promanant. Cum igitur, vt superius demonstratum, ac sensui euidentissimum est, forma substantialis animalium, si qua est, immediatè à calore naturali producatur, vt testis est experientia

rientia

rientia, cur non omnes operationes ab eodem calore poterunt immediatè prodire? Verum quoniam inter cœteras animantium operationes motus volũtarius videtur prę ceteris aliam vim ſupra calorem innatum expoſcere; & tanti momenti videtur eſse, vt Galenus ad ipſum reſpiciens in lib. de form. fœt. in vtero, cap. poſtrem. pene coactus ſit propriam ſententiam mutare, & ſupra innatum calorem, quẽ toties vnà cum Magno Hippoc. animæ ſubſtantiã eſſe dixerat, aliam ſublimiorem facultatem, excogitare, & in ſumma, de ipſa anima, quid nam ſit, omnino ambiguum ſe ipſum fateri; Ea propter non ſit ab re huiuſcemodi difficultatem amplius enodare. Clariſsimum eſt apud Galenum, appetentiam, quæ ad differentiam naturalis appetitus, animalis vocatur, in ore ventriculi primum, & ſtatim poſt in cerebro excitari: Neq; minus liquet, huiuſcemodi appetentię principalem auctorem calorem innatum eſſe: Quo fit, vt toties in commentarijs librorum Pręſagiorum, & Epidemiorum Hippocratis, & alijs in locis, idem Galenus dixerit, proſtratam appetentiã animalem, quæ, ſcilicet, mente non ægrotante, in ægrotantibus ſuboritur, innati caloris extinctionis, ſiue eiuſdem caloris pereuntis, & emorientis ſignum eſſe infallibile. Si itaq; calor hic appetentię animalis effectiuum eſt principium: Ergo etiam erit principium & auctor ſenſationis, & cognitionis indigentiæ, quia ſenſus, & appetitus ſenſitiuus non realiter, ſed ſola ratione diſtinguuntur. Si ſic, ergo etiam voluntarium motum excitabit, & effectiuè producet. quia facultas cognoſcens, appetens, & mouẽs re & ſubiecto non diſcrepant: Sed ad appetentiam

per

per quandam concomitantiam ſequitur motus voluntarius. Ergo calor innatus voluntarij motus organici, & ſubinde muſculis ac tendonibus copulatus, eiuſdem motus auctor præcipuus ſtatui poterit. Si enim apprehenſio, motuſq; progreſſiuus in virtute muſculorum obeuntur, & hoc idcirco fit, quia, vt docuit Galen. 1. de motu muſcul. cap. 5. muſculi mẽbra & oſſa illa, quibus pręſunt, & flectere, & extendere valent, vnde clarè demonſtrat eo loco, quod flectere quidem officium eſt muſculorum internorum; extendere autem externorum, perſpicuum omnino eſt, quod tenſio, & in ſeipſos contractio, inſita muſculis eſt actio: extenſio autem & laxatio, oppoſitorum intenſorum, & ad ſeipſos trahentium. Si enim, vt poſtea inquit, totum muſculum per tranſuerſum abſcindas, ſiue in animali mortuo, ſiue adhuc viuente, partem eius aliam ſurſum, aliã deorſum ferri euidenter videbis, ad ſuum terminum vtramq; tractam. Idq; ſi quauis in parte totum muſculum per tranſuerſum abſcideris, fieri clarè perſpicies. Quo manifeſtum eſt, quod omnis eius particula connatum habet motum, in ſeipſam ſcil. coitionem. Etenim & ſi principium ſupernum ſolum abſcideris muſculi, totus ad caudam feretur: ſi finem inferiorem, ad caput retrahetur: ſi vtrinq; abſcideris, eum quaſi conglobatum videbis, & concurrentem ad medium ex vtriſq; finibus. Sed quorſum hæc ſcribo? Vt pateat innatum calorem voluntarij motus auctorem eſſe. Quod nunc declaro. Si veſicam vrinariã, ventriculũ, vterum, & alia omnia membra, quæ in proprijs expulſionibus contractione utuntur, Galenus & omnes fatentur, merito calo

ris

ris innati, tanquam agentis principalis, & merito fibrarum, tanquam agentis instrumentarij proprias expulsiones moliri: ergo à pari motus voluntarius, qui merito solius contractionis musculorum celebratur, ab eodem calore, tanquam ab effectiuo principio poterit proficisci, cum musculis, qui innatum contractionis motum sortiti sunt, fuerit copulatus. Omnis namq; musculi particula innatum habet motum, videlicet in seipsam coitionem. Sed possumus insuper asserere prẹter cõnatum musculi motum & coitionem, ipsius quoq; voluntatis nutum per quendam conatum concurrere: sicuti voluntatis nutus ab appetentia; & hæc ab ipsa sensatione, & hẹc ab obiecto appetibili, & delectabili tanquam fine, & ab ipso calore naturali ceu principio effectiuo originem ducit, & motus principium sortitur.

Instantiæ nonnullæ, quæ ex Galeni dictis colligi posse videntur, & eius iam explicatam de animæ substantia opinionẽ videntur euertere. C. XIII.

EX traditis autem luce clariùs patere arbitror, innatum calorem ea omnia officia præstare posse, quæ ipsi animẹ, tanquam agenti superiori, aut primo agendi principio, Aristoteles voluit attribuere. & subinde, si anima esset natura quædam à naturali calore distincta, absq; dubio esset otiosa. nec enim vllam haberet actionem. Quantum autẽ apud eundem Aristotelem, & ipsam naturam absurdum sit entium superfluitas, & multiplicatio sine necessitate, nemo est, qui in naturali versatus sit Aristotelis Philosophia, & hoc ignoret. Videmus enim

naturam entium ſimplicitatem maximè affectare, ac ſubinde multoties vnico & ſimplici inſtrumento plures vſus & actiones præſtare, non autem ſimplicem & eandem pluribus inſtrumentis edere, quando æquè bene paucioribus, vel vnico eandem obire valeat. Si igitur anima eſt quid à calore diuerſum, quam, obſecro, in plantis ac ſtirpibus operationẽ notare poterimus, cuius ſolus, ac per ſe calor innatus auctor eſſe non poſſit? Nec amplius dicant Philoſophi fautores, difficile quidem eſſe id in ſtirpibus inuenire, ſed in animalibus facile, quia cognitione & appetitu prædita ſunt. Nam & has quoq; functiones à calore naturali effici poſſe monſtrauimus, & adhuc magis in præſenti capite probare conabimur. Nam priusquam ad alias rationes probantes, animam eſſe calorem, deſcendamns, ne vllus hac in re ſcrupulus apud aliquem Galeni ſectatorẽ relinquatur, cogimur aliquantiſper immorari in eius dictis examinandis & aperiendis, quæ ab eo ſcripta ſunt in poſtremo capite libri de format. fœt. in vtero, tum quia pulcherrima, & maxima contẽplatione digna mihi videntur; tum quia ſententiã noſtram, imò & ipſiusmet Galeni iam explicatam, & rationibus fulcitam, videntur euertere. Is igitur de his, quæ à Philoſophis dicta ſunt de animæ ſubſtantia, nec non de cauſa fœtuum formatrice verba faciens, ſic inquit: Ego verò, ſicut fabricam noſtri corporis oſtendi ſummam Opificis & ſapientiam, & potentiam præ ſe ferre; ita demonſtrari mihi à Philoſophis velim, vtrum is Opifex Deus aliquis ſit & ſapiens, & potens, qui & intellexerit prius, quale vniuſcuiusq; animalis corpus eſſet fabricandum,

bricandum, & deinde quod propoſuerat, potentia fuerit aſſecutus, an anima aliqua à Deo diuerſa. Neq; enim naturæ (& per hanc non innatum calorem, quem Hippoc. in animalibus naturam appellat, ſed cauſam vniuerſalem rerum omnium generabilium & corruptibilium intelligit) quæ appellatur, ſubſtantiam, ſiue corporea, ſiue incorporea ea ſit, ad ſummum ſapientiæ dicent perueniſſe, quam ne vlla quidem ſapientia eſſe prĕditam inquiunt. Vnde eam ita artificioſè in fœtuum formatione ſe geſſiſſe credendum non eſt. Hoc enim ab Epicuro, alijsq; ; qui ſine prouidentia omnia fieri opinantur, audientes, nullam fidem adhibemus. Nam duorum alterum neceſſe eſt, aut ex motu aliquo irrationali, atq; inartificioſo fœtuum formationem in optimum finem deuenire, aut, quemadmodum, qui miracula moliuntur, principio motionis exhibito, diſcedunt, machinę verò ipſæ aliquantiſper, non multo tamen tempore, per ſe ipſæ artificioſè impelluntur; ita etiam Deos, vbi plātarum, & animalium ſemina præpararint, vt ad tantam motuum ſucceſſionem idonea ſint, ipſos nihil amplius agere. Verum priorem opinionem refellere mihi non eſt opus, cum ab ijs ipſis, aduerſus quos mihi diſputatio eſt, damnata iam ſit. Quod ad ſecundum ſpectat, diligentiùs conſiderandum, fieri ne poſſit, vt talis humor, qualis in genitura apparet, in tanto numero ſibi mutuo ſuccedentium motionum nunquam aberret, donec iuſtum finem attigerit. Nam ſicut incredibile eſt, nullum in tanta partium multitudine errorem à fortuita motione committi; ita conſecutionem motus artificioſam

ab aliqua irrationali ſubſtantia effici perinde, atq; ipſi dicunt, nimis audax eſt. His prælibatis, Galenus, vt oſtendat maiorem huius negotij difficultatem, & ſupra calorem natiuum aliam virtutem eminentiorem in animalibus, etiam iam efformatis, requiri, ſtatim ſubdit: Sed adhuc admiratione dignius videtur, quod per totum vitæ tempus, nobis omnibus inſpicientibus, aſſiduè fit, quod tamẽ, quo modo fiat, nullus ex ijs, qui naturæ ſpeculationem profitentur, neq; aduertit, neque indagauit. Hoc autem illud eſt, quòd in membrorum functionibus accidit: euidentię verò cauſa, vno aut altero exemplo producto finiemus orationem. Vt autem breuibus, quæ à Galeno dicuntur, perſtringamus, ipſe proponit varium, & admirandum muſculorum motum, primùm in manu; ſecundò in ipſa lingua. Sumit itaq; primum manum, quę omnes digitos tribus oſſibus compoſitos, & inter ſe articulis diſtinctos habet. Cum igitur aliquando nobis ſimul omnibus, vel priuatim ſingulis extendantur; aliquando in latus, idq; vel ad paruum, vel ad magnum digitum, inflectantur, & hi omnes motus per muſculos fiant nobis ignorantibus, priuſquam per diſſectionem pateant, admirandum ſanè eſt, quo modo non ſolum nos, ſed paruuli etiam infantes, cum aliquem digitum extendere, vel flectere iubentur, ſtatim id faciant, licet mouentem muſculum non agnoſcant. Deinde aſſumit linguam, de qua maior inſurgit admiratio, cum de eius muſculorũ multitudine diſſectionis profeſſores diſſentiant; tantum abeſt, vt ſingulis motionibus præpoſitum certò cognoſcant: Et nihilominus puerulus, vbi audiat

hanc vocem (pànis) etiamſi neſciat,quomodo lingua fingatur,nec à quibus muſculis ad ſingulas voces proferendas agitetur, eam exprimit. Ex diligentioribus autem Medicis, qui hoc indagarunt, quidam dixit vnumquemq; muſculum quaſi animal voluntatem noſtram perſentientem attrahere & circunducere linguam in conuenientem figuram ad vocem exprimendam. A qua tamen opinione veluti abſurda (in nobis enim quamplurimas introduceret animas, ſiue animalia inuicem ſeparata) recedendum eſſe ait Galenus. Quidam verò alij dixerunt à neruis ad originem ſuam muſculos trahi, ad quorum tractum inferior oſſium,quæ articulos conſtituunt, pars ſequitur,cui muſculi caput inſertum eſt. Quam ſententiam reijcit Galenus, tũ quia adhuc non cognoſcimus, quisnam muſculus trahendus ſit; tum quia minutiſſimi nerui maioribus muſculis inditi ſunt, qui nec in viuentibus in voluntarijs functionibus moueri, vti muſculi mouentur, nec in mortuis, ſi noſtris manibus conuellantur, muſculos, ſicuti muſculi articulorum oſſa trahere cernuntur. His poſitis, Galenus ad ſemen reuertitur inquiens: Neq; tamen,quia ſinguli muſculi voluntarijs motibus agitantur, propterea affirmandum eſt ſemen, perinde ac miracula, fuiſſe conſtitutum, ferriq; ita ſine vlla cognitione, neque quid agat, intelligere. Nam eorum ratio, qui animam ſuum ſibi corpus formare dicunt, ex diſſectione ſatis probabiliter confirmata hinc contradictionem admittit. Ex vſu enim ſingularum corporis partium confirmatur, qui ſimul, dum etiam generantur, inſitus videtur. Vnumquodq; enim animal

cernimus ea præcipuè parte, qua alijs præstat, se defendere : vitulum cornu petere, priusquam cornua produxerit; pullum equinum calcitrare nondum solidis vngulis; catulum sine validis dentibus ad mordendum incitari : simili modo volucres, antequam idoneæ sint, volare conantur. Quæ omnia videntur significare, animam, quę partibus his vtitur, ipsarum vsum optimè callere, quasi ipsa eas fabricarit, non ab alio fabricatas acceperit. Sed cur, vbi membrum aliquod mouere voluerimus, qualibet motione id statim moueatur, licet mouentem musculum non agnoscamus, illud verò omnium difficillimum est. Vnde quidam putarunt, aliam esse animam, quæ quodlibet membrum fabricata est, aliam, quę ad voluntarias functiones incitaret, & priore abeunte & recedente post corporum fabricationem, remaneat secunda, quæ scilicet incitat. Quę quidem ratio de anima membra incitante licet vndiq; Galeno absurda visa sit, tamen ei præ se ferre videtur summum Opificis, qui nos condidit, artificium, quod nemo sanæ mentis in temerariam fortunam referre potest: Quemadmodum postea ex admirabili nostrorum corporum fabrica Galenus hoc declarat: Et potissimum ex tam ingenti particularum numero, quæ tam in dextris partibus, quam in sinistris ęquales omnino sunt, quas non nisi à sapientissimo, & potentissimo Opifice factas esse crędendum est: Quis tamen is esset, nunquam ab aliquo ex suis præceptoribus audire potuit, etiamsi & primum, & secundum, & tertium, & vsq; ad quartum percontatus esset. Vnde maxima tristitia affectus secum cœpit inuestigare, an aliquam de fabrica

ca animalium validam rationem posset inuenire; aitq; nullam hucusq; potuisse. Et ob id peritos hac in re Philosophos hortatus est, vt, si idoneum quippiam inuenirent, secum id sine inuidia communicare vellent. Tandem rursus repetit, quod cũ videat puerulos exprimere verba sibi imperata, absq; eo quod musculos linguam ad ea accommodatè exprimenda mouentes, & multo minus neruos agnoscãt, probabile esse existimauit, eum, qui linguam nostram finxit, vel ipsum adhuc in formatis membris permanere, vel membra ipsa animantia constituisse, quæ voluntatem principalis animæ nostræ partis cognoscerent. Sed cùm postea cognosceret, aliã esse principatus nostri animam, aliam, quæ in singulis membris est, vel prorsus vnam esse commumunem, quę omnia administret, in eam ambiguitatẽ venit, vt putaret se ne probabili quidem commentatione, nedum certa cognitione aliquid de artifice, qui nos finxit, percepisse. Cum enim audiret quosdam Philosophos dicere materiam animatam, quæ ab æterno est, in Ideas respiciendo seipsã excolere, atq; informare, magis adhuc intellexit, vnam oportere esse animam, quę & nos formet & singulis mẽbris vtarur. Huic tamen (subdit) opinioni illud aduersatur, quòd, quę nos regit anima, appetitionibus ipsius inseruientes partes videtur ignorare.

Quo pacto omnes propositæ obiectiones sint diluendæ.
Cap. XIIII.

HÆc sunt (doctissime Compater) potiora illa Galeni dicta & conclusiones ab eo prolatæ,

quæ

quæ noſtram, imò ipſius propriam de animæ quidditate ſententiam videntur poſſe labefactare; & nobis perſuadere, in animalium conſtructione, & functionibus edendis, ſupra natiuum calorem nobiliorem virtutem, & opificem ſapientiſſimum, & potentiſſimum neceſſarium eſſe; & illam virtutem, quę animalia produxit, non eſſe eandem, quæ illa vniuerſo vitæ curriculo conſeruat, atq; gubernat. Quibus, etiamſi ex his, quæ ſuperius à nobis ſcripta ſunt, facile ſit reſpondere, nihilominus pro virili rurſus laborabo, vt validioribus adhuc rationibus Galeno ſatisfaciam, & eius deſiderium, quo in eiuſcemodi quęſtionibus ſoluendis vehementer ardebat, & ad tot præceptores percontandos incitabatur, ſi non ex toto, ſaltem magna ex parte expleam. Hanc autem prouinciam libenti animo ſuſcipio, non vt Galenum erudiam, (nimis enim arrogans & impudens eſſem) ſed ſolum vt ipſum titubantem in ſuis proprijs decretis ſtabiliam, imò in diuerſam ab ea, quæ cum Diuino Hippocrate de animæ natura protulerat ſententiam cadentem, erigam. Quod vt breuius, quantum fieri poterit, & facilius proſequar, ab eius poſtremis iam relatis verbis, quæ veluti per quoddam corollarium appoſuerat, ſumemus initium. Cum itaque dixiſſet, ſe magis adhuc intelligere, vnam oportère eſſe animam, quæ & nos formet, & ſingulis membris vtatur, ſtatim ſubdit, quod huic opinioni illud aduerſatur, quod quæ nos regit anima, appetitionibus ipſius inſeruientes partes videtur ignorare. Quod quidem in ſuperioribus eiuſdem capitis dictis duplici exemplo demonſtrauerat, vno quidem ab extremę manus, & ipſorũ

digitorum:

digitorum; altero ex ipsius linguæ varijs motionibus desumpto: quas etiam maxima admiratione dignas esse affirmauerat. Verum si quis in memoriã reuocet, quę superius à nobis dicta sunt, nimirũ, innatum calorẽ, quatenus tali temperamento donatus est, & prout cum peculiaribus suis spiritibus & organis, certa quadam temperatione & cõpositione præditis est copulatus, omnes animæ functiones edere, non ampliùs mirabitur. Quod hoc sit verũ, ex ipsiusmet Galeni auctoritate comprobo. Is enim primo de Vsu part. cap. 3. hæc eadem profert verba: Omne enim animal (inquit) & suæ ipsius animæ facultates, & in quos vsus partes suę polleant, nullo doctore pręsentit. Hoc autem probat exemplo nonnullorum animalium nuper natorum, quæ, licet particulas vndequaq; perfectas non sint adhuc sortita, ijs nihilominus vti desiderant. Naturæ .n. animalium (vt ait Hippocr.) à nullo doctę sunt. Quapropter cetera quidem animalia mihi natura magis (subdit Galenus) quam ratione artem aliquam exercere videntur, apes videlicet plasmare, fingereq; alueolos; thesauros verò quosdam, & labyrinthos formicę fabricari, nere autem & texere aranecę, vt coniecto, sine doctore. Insuper, vt idem habet in citato libro, cap. 2. multum differunt à se inuicem particulæ animalium, quoniam & ipsæ animæ differunt; omnibus verò aptum est corpus animæ moribus, & facultatibus. Idcirco Homini (sapiens enim est hoc animal, & solum eorum, quę sunt in terra, diuinum) pro omnibus simul defensorijs armis manus dedit, instrumentum ad omnes quidem artes necessarium, paci ve-

Q rò

rò non minus , quam bello idoneum . Et capite quarto inquit vnà cum Aristotele ; hominem manum velut organum quoddam ante organa habuisse , eò , quia rationem ipsam velut artem quandam ante artes fuerat sortitus. Mirari itaque posthac non debemus, si ipsos etiam puerulos digitos tam variè, ac tam artificiosè dimouere videamus. Si enim animalia, quæ ratione carent, sine doctore, in quos vsus partes suæ polleant, facilè cognoscunt, multò magis, quæ ratione prædita sunt, id poterunt cognoscere. De linguæ verò admirabili motione quid attinet dicere ? cum in homine os ipsum longè magis ad loquendum quam ad apprehendendum fuerit efformatum. Ad quod respiciens Galenus, in comment. Timæi Platonis, dicebat: At oris quanta vtilitas, quantumque decus ? Cum enim vita animantium cibo potioneq; & spiritu teneatur , ad hæc omnia percipienda os est aptissimum : Cumq; mentis interpres oratio sit, ea potissimum ore emittitur, atque ijs instrumentis fere, quæ ore continentur, articulatur, vt in eo libro, qui de vocalium instrumentorum dissectione est, & in eo, qui de voce inscribitur, demonstrauimus. Itaq; & sensa animi, & sua cogitata homines, nisi os essent consequuti, nunquam eloqui potuissent. Sed incredibile est , quanta opera ad id agendum machinata natura sit. Hæc ille. Scimus autem in vocis dearticulatione linguam, præ ceteris partibus, magis præcipuum locum habere. Quocirca, si & psittaci, & picæ & sturni, & corui, & alia pleraque bruta animalia, quę multò minus, quam homines, musculos linguam mouentes agnoscunt, voces plerasq;

rasq; dearticulatas, & integra verba, & interdum integras cantilenas, ore ipso magis ad apprehendendum, quam ad loquendum, siue vociferandum prõpto & efformato, proferunt, mirandum certè non erit, si puerulus aliquod verbum proferre iussus & edoctus, lingua adeo ad id idonea, & ore ipso, labijs, dentibus, palato, & alijs partibus mirandum in modum ad hoc fabricatis, illud pronunciabit. Pueruli namq; & nonnulla animalia ratione carentia, vbi vocem aliquam auribus perceperint, eiusdem vocis speciem imaginatricis facultatis merito intimius, & in cerebri substantia tanquam mollissima, & spiritibus purissimis refertissima statim apprehendunt, ac diutius retinent, & deinde, vbi opus est, & voluntas id iubet, siue appetit, locutionis instrumentis, & lingua potissimum exprimunt. Pars enim animę imaginatiua, qua animalia donata sunt, vt Gal. inquit 2. de motu muscul. cap. 6. quęcunq; ea sit, hæc eadem & recordari videtur. Si itaque insignes impressiones rerum in imaginatione acceperit animal, conseruat perpetuò: atq; id quidem est memoria tenere: si verò obscuras & penitus superficiarias, non conseruat. Ideo videmus neq; puerulos, neque cetera animalia, dum primis vicibus edocentur, ita rectè & integras voces edere, imò earum sæpe obliuisci; sed dum longiori tempore insignes vocum impressiones in imaginationibus acceperint, perfectè enuuciant, diutiusque conseruant. Sed nunc ad Galeni consequentiã intimius examinandam venio. Dixerat ille, se intelligere vnam esse oportere animam, quę & nos formet, & singulis membris vtatur, quemadmodum & ego fa

teor,& vnà cum eo,& Hippocrate superius compro bau', addens ex eorum clarissimis auctoritatibus, animam, quæ nos format esse ipsum natiuum calo rem, eo scil. modo, quem exposuimus. Sed dum addit Galenus, quod huic opinioni illud aduersatur, quod scil. quæ nos regit anima, appetitionibus ipsius inseruientes partes videtur ignorare, videtur hanc cõsequentiã elicere: Si anima, quę nos format. nos regit; ergo quæ nos regit debet cognoscere oẽs partes inseruientes suis appetitionibus, & suis motibus voluntarijs: ergo deberet cognoscere omnes musculos nedum manus digitos & linguam, verum etiam omnes alias partes mouentes. Consequentia probatur, quia quę nos effinxit sapientissima & potentissima erat: hæc autem, quæ nos regit musculorum ignara. Ex hac Galeni argumentatione tantum abest, vt à prima mea sententia dimouear, vt potius firmiùs credã innatũ calorẽ illũ esse, qui sentiẽtis & nutriẽtis animę functiones omnes regat. Nam etiamsi verissimum sit, innatum calorem merito cœlestis luminis nos efformasse, propter causam superius assignatam; tamen postea quam animal efformatum est, nulla prorsus eget illarum partium, quæ appetitionibus ipsius inseruiunt cognitione: hæc enim vndequaq; frustratoria censeri debet: Sed sufficit, vt animal, ignoratis prorsus musculis, solas ipsius motus, in quem voluntas, & appetitus sensitiuus fertur, & inclinat, differentias cognoscat. Quas quidem, cum è genere communium sensibilium sint, tum visu, tum auditu, tum etiam tactu facilimè potest cognoscere. Nam tunc, post hãc cognitionem, exiguissimo motus principio muscu

lis

lis,qui in illam motus differentiam tendunt, adhibito,merito voluntatis nutus,& parui cuiusdam conatus,ſtatim muſculi innato ſibi motu, quem ab animali ſpiritu à cerebro ſibi delato ſuſcipiunt,in ſeipſos coeunt,& contracti membrum, cui inſeruntur, ſimul trahunt. Spiritum autem animalem naturali perfundi calore,& eo tanquam præcipuo auctore mediante, motum excitare, cuicunq; patere arbitror. Quod autem cognitio illa, quam Galenus adeo neceſſariã exiſtimat, ſuperflua ſit, clarisſimum eſt,quia ſufficit ipſe calor innatus cum organo ſibi accommodato,&, vti decet attemperato & conformato coniunctus. Vnde,vt animalia ratione carentia mittamus : quæ tamen omnes partes mouent abſq; vlla muſculorum cognitione, nedum partes animalium, quæ ſolas proferunt vegetalis animæ functiones, verum etiam ſtirpes,quæ ſenſu ſunt orbatę, trahunt alimentum ſibi familiare, etiamſi fibras & radices, quarum merito illud alliciunt, & illarum numerum, & conformationem penitus non agnoſcant. Dummodo enim naturales motiones ſucceſſiuè fiant, & per quædam determinata media progrediantur, nulla prorſus cognitio requiritur; ſed ſolus innatus calor ſufficiens eſt. Ad hoc enim, vt iecur per venas, quas ignorat, alimentum tragat,& ventriculus ad eſcam extrinſecus trahendam animal impellat, ſat eſt, vt primum corpus animalis inaniatur, deinde naturalis appetitus partium, quæ inanitæ ſunt, inſurgat, poſtea per venas nutrimentum eædem partes attrahant,& venæ à iecore, & iecur per meſerei venas à ventriculo, donec tandem ventriculus inanitus in eius ore propter luctũ,

& triſtem

& tristem sensationem indigẽtiæ sensum percipiat, & tandem animalis dicta appetentia suboriatur. Quæ ad cibum quæritandum, & apprehendendum animal impellit ac cogit. Quę omnia ab vnico calore naturali, merito instrumentorum ad has operationes accommodatorum, proculdubio obiri perfectè possunt. Nam sine idoneis organis solus calor alioquin optimè attemperatus ad operationes edendas non est sufficiens. Proinde ea solum animalia, quę linguam aptius concinnatam habent, voces humanas faciliùs proferunt, & imitantur. Quod hoc sit verum, simia, qua nullum animal homini similius est, vt ob id Galen. 2. de Vsu partium, ipsam ridiculam hominis imitationem dixerit, etiã si os ipsum ad hominis similitudinem depressum habeat; nihilominus, quia lingua ei est inepta, nunquam humana verba imitata fuisse audita est. Ei autem linguam nequaquam voci dearticulandæ fuisse tributam, ex eo patet, quia etiam masticationi, quæ & ipsa à lingua in animalibus vtilitatẽ sumit, parũ apta deprehenditur. Nã sępe simiæ, dũ os cibo aliquo repletum habent, & eum mãdere cupiunt, eam cibi partem, quæ sub malis recõditur, ipsis manibus è regione dentium coguntur impellere. Neq; arbitrandum est, in simijs innatum calorem accommodatum, & voces significantiores proferendi desiderium, & appetitum deesse, quia quàm plurimis alijs actionibus eundem appetitum nobis apertissimè patefaciunt. Quare etiamsi in animalium formatione diuinior quædam vis vnà cum innato calore ipsius seminis requiratur; tamen post eorum ortum innatus hic calor sufficiens eorũ

con-

conseruator, & rector censendus est. Quod autem naturalis ipse calor ad animalia gignenda, & effor manda prȩcipuè concurrat, exemplo animalium, quæ ex putri ortum ducunt, efficacissimè comprobauimus. Qua in re videmus, non solum viliora, sed alia quædam animalia ex putredine oriri, quæ miram prudentiam præ se ferre videntur. Nam & formicȩ, & apes, quarum reparationem Poeta in suo quarto Georgicorum libro ex iuuenci putredine ab Aristeo adinuentam docuit, & pleraq; alia ex putredine orta, admirandas, & artificiosas proferunt actiones. Quod idcirco fieri arbitrari possu mus, quia omnia id genus animalia, vti etiam sunt araneæ, ficcioris sunt temperamenti, &, vti superius docuimus ex Aristotele, talia omnia prudentio ra sunt. In ijs enim imagines rerum, quȩ ad horum animalium vitam conseruandam, & nutritionem attinent, eorum memoriæ & imaginationi vehemẽtiùs inhierent. Quia ad memoriam & retinendas species sensibilium, temperamenti siccitas conducit. Ob id apes fingunt alueolos, in quibus mel pro nutrimento conseruant; formicæ horrea, in quibus grana asseruantur, sibi parant; araneæ ad cibum sibi comparandum, & muscas capiendas, telas texũt. In alijs uerò animalibus, in quibus humidior est calor innatus, tanta alimenti cura non obseruatur: & solum quo tempore famescunt, ad illud quæritan dum excitantur. Quinimò pro speciei quoq; conseruatione; videmus volatilia, quæ siccioris sunt tẽperamenti, elegantiores, & in tutiori loco reconditos nidos componere; quæ minus sicci, viliores, & alijs animalibus magis expositos; humidiora verò,
qualis

qualis est cuculus, qui mollissimas habet carnes in relatione ad consimiles aues, & aliæ, quæ cicures sunt, ne vllum quidem nidum construunt. Sicuti etiã equæ, asinæ, canes, feles, & id genus animalia pauca admodũ loci cura adhibita, proprios fœtus in eũ locũ in quem casu incidunt, parere consueuerunt. Ex his igitur patet, cur quædam animalia functiones quasdam, nullo etiam edocente, sed sola imaginatrice, & memoratrice potentia mediante, ac propriorum organorum merito admiratione dignas obeant: idq; præsertim, dum ab obiectis externis externos sensus mouentibus excitantur. Externorum autem obiectorum sensibilium species & imagines in organis sensorijs recipi, & cognosci, caloris natiui munere, omnes fatentur. Dum enim sonitus species primum in externo, & mox in interno recipitur aere, qui intra membranam tympanũ vocatam conclusus continetur, cum in ibi dilatatus auditorius neruus desinat, animali spiritu, ac subinde innato calore perfusus aer ille, nedum speciem illam suscipere, verum etiam cognoscere, & ad cerebrũ ipsum deferre facilè potest. Pariter coloris species primum ab externo & interno lumine illustrata, per diaphanum aerem, & per oculorum tunicas, & humores pariter diaphanos, in crystallinum humorem defertur, & in eo tanquam in nitidiori speculo imprimitur; & quia ad hunc humorem insignis peruenit neruus, cuius medullaris portio à cerebri substantia deriuata in araneam tunicam migrat, & crystallini partem anteriorem inuestit, & quia ad hanc tunicam, & humorem crystallinum, tum aqueum plurima spirituosa substantia, diaphana, & purissima,

sima, sua peculiari innata caliditate perfusa ab eodem cerebro peruenit, idem spiritus & eandem speciem suscipere,& cognoscere, ac in intimiores cerebri partes vehere,& iudicare facillimè potest. Illud tamen patere arbitror, quod etiam si animalia quędam, vti ostensum est, insignes quasdam actiones expromant; nihilominus solus homo, quippe qui rationem tanquam artem ante artes, & manus exporrectas,& admirabili, ac penè diuino artificio fabrefactas, tãquam organum ante organa, solus obtinuit, omnes artes, vt Galenus ait 1. de partiũ vsu, cap. 2. & 3. exercere valet. Non enim (ait) quia manus habuit, propterea sapientissimum est animál, vt Anaxagoras dicebat; sed quia sapientissimum erat, propter hoc manus habuit, vt rectissimè censuit Aristot. Non enim manus ipsę hominem artes docuerunt, sed ratio. Manus autem ipsæ sũt artium organa; sicut lyra Musici, & forceps fabri. Habet profecto simia manus ipsas satis eleganter et formatas, & inter omnia bruta hominis manibus simillimas, & subinde cum apprehensionem, tum alias multas manuum actiones præstantiores perficit: Nihilominus nullam penitus artem exercere valet,& quia ratione caret, & quia manus non habet exporrectas, sed clauiculis, siue iugulis destitutas,& in summa manu pollicem digitum non exactè quatuor reliquis oppositum, nec tres articulos habentem sortitur, sed duos tantummodo. vnde sæpiùs, ut Galen. ait 2. de vs. part. in quorundam corporum, præsertimq; eorum, quę rotundiora,& maiora sunt, apprehensione abberrat; & dum corpora hæc ab eius manibus decidunt, pueri rident.

An Anima Mundi cum Platonicis fœtuum causa formatrix dici possit? Cap. 15.

VErum quia Galenus in fine libri de format. fœt. in vtero, & capitis, quod iam percurrimus, adhuc anxius de hac re fatetur, se non modo de animę substantia dubitare, nec uel probabile quippiã habere quod afferat; verum etiam de fœtuum formatrice causa nihilo minus ambigere; & postea huius rei causam aliam assignare videtur, ideo operepretium esse arbitratus sum, hanc quoq; postremo loco ab eo positam sententiam, priusquam ad alias animæ substantiam calorem innatum esse probantes rationes me conferam, accuratius examinare. Inquit igitur Galen. nuper citato loco, quod cum quidam sibi ex Platonicis Magistris diceret, animam, quæ per totum mundum diffusa est, fœtus ipsos formare; artem & potentiam, quæ fœtuum fabricę adhibita est, dignam quidem ea esse existimabat, nunquam tamen adduci potuit, vt crederet, scorpiones, phalangia, muscas, culices, viperas, vermes, lumbricos, pitylas ab eadem fingi ac formari, prope ad impietatem accedere hanc opinionem ratus. Et in fragmento de substantia facultatum naturalium sic ait: Verum Plato in Timęo cum naturæ contemplationem paucissimis explicat auditoribus, qui rationes à scientia profectas intelligere poterant, à vulgi sententia recedit, Mundiq; animam per ipsum totum esse diffusam affirmat. Neq; verò existimandum est, eum virum sibi nõ constare, aut secum pugnantia dicere, sicut neq; Aristotelẽ, neq;

Theo-

Theophrastum:cum vulgo alia, suis verò familiaribus acroaseis conscriberent(vocant autem Græci acroaseis,siue acroamatica,ea quæ grauia & accurata sunt,aut etiam arcanarum, & grauiorum disciplinarum cognitionem). cum enim aliquod decretum, quod omnem planè sensum effugiat, multasque rationes ad sui demonstrationem postulet, intempestiuè affertur,auditores à se reijcit. Non est igitur de his pronunciandum prius,quam paulatim longa demonstratione ad totius orationis conclusionem peruentum sit: neq; mundi animam per lapides,per testas,per arenam, per ambusta, aut putrescentia cadauera permeare statuendum est: propterea,quod si ita simpliciter,& apertè coram populo tale quidpiam Plato dixisset, certè eum omnes contempsissent. Vnde autem motus in hanc sententiam deuenerit,ego aliis in commentarijs, nihil ei consentiens, aut repugnans,declaraui. Si quidem ipse quoq; non ita statuit de naturalium rerum contemplatione,sed ad probabilitatem, veriq; similitudinem vsq; progredi eam censet. Hæc ille. Cum autem talia Galeni commentaria nobis non suppetant,neq; etiam scire possumus,quid nam censuerit Platonem ad Mundi animam ponendam& excogitandam impulisse. Hoc vnum ex Galeni verbis apertè colligimus huiuscemodi opinionem ad probabilitatem vsq; progredi. In superiori autem auctoritate manifestè patet,Galenum artem & potentiã, quę fœtuum formationi, siue fabricæ adhibita est, anima mundi dignam certè esse existimasse,sed solummodo opinionem hanc suspectam & impiam habuisse, cum videret scorpiones phalangia, mu-

ſcas, culices, viperas, vermes, lumbricos, pitylas ab eadem mundi anima formari. Verum quoniam Galenus Platonis ſententiam probabilem eſse fatetur, huiuſcemodi inſtantia Galeni mihi nunquam alicuius ponderis viſa eſt, & in meo de venenat. & occult. morbis commentar. lib. præſertim ſecundo, ſatis ſuperq; declaraui, huiuſcemodi animalia nedũ ad mundi ipſius ornatum, verum etiam ad hominẽ ipſum, cuius gratia hæc omnia, quę apud nos sũt, fuere à ſummo Opifice producta; & ad alia nobiliora animalia, quibus homo veſcitur, ſuſtentanda, & conſeruanda mirum in modum conducere: Et quia inſuper idem Gal. alibi, vt inferius dicam, hanc eãdem mundi animam probare, complectiq; viſus eſt: Eapropter hæc Platonis de mundi anima opinio ſi in bonum ſenſum redigatur, & noſtræ ſententię de calore innato fauere, & pro uera accipi poteſt. Si enim pro calore, qui ab aſtrorum, coeleſtiumq; corporum lumine promanat, accipiatur, cui dubiũ quod calor hic pro rerum omnium generabilium & corruptibilium productione neceſſarius eſt; cum dixerit Philoſophus, Solem & hominem gignere hominem, & ſic de reliquis animalibus, animatiſq; corporibus. Simili modo lapides & metalla huius caloris vſq; ad terræ viſcera permeantis merito generantur, & mox à terrę frigiditate concreſcunt. Et ſecundo de ortu, & inter. Ariſtotel. dum ęternam generationem & corruptionem in æternos motores, & vniformem firmamenti reuolutionem, & circuli Signorum, ſiue Zodiaci obliquitatem reſoluit, id quod ſenſui euidentiſſimum eſt, in medium affert, & ex Solis receſsu multorum viuentium corruptionem;

ruptionem;

ruptionem ; ex eiusdem verò accessu eorundem generationem fieri asserit. De hac mundi anima locutus est etiam Auicenna eam cholcodeam, siue etiã, vt alij, datricem formarum, vocans: Et quamplurimi tum antiquiores tum recentiores Philosophi eiusdem mentionem habuerunt : Ac præsertim omnes Auerrhoistæ, qui voluerunt, naturam dirigi ab intelligentia non errante. Quia enim natura, quę agit propter finem, ipsum finem non agnoscit, ideo hac eget intelligentia ipsam dirigente. Huius quoque Vergil. in Aeneide meminit, sexto nimirum libro, necnon Georgicorum quarto. Fernelius suũ cœlestem calorem omnium formarum, quę in mixtis cernuntur, auctorem esse affirmat. Octauum orbẽ ceu plurimis, & à nobis ĩnumerabilibus astris, atq; luminibus insignitum vitæ principium vocat Arist.. Sed à Solis lumine cœlestem hunc calorem his inferioribus impertiri, sensui euidẽtissimum est. Nã speculo cõcauo radijs solaribus perpẽdiculariter opposito, & ei stipula vel alia materia superposita, ex luminis ĩ eodẽ speculo reflexione & vnione ignis facillimè in ea succeditur. Quod etiam apud nõnullos arguit, lumen illud solare non esse nudã, ac simplicem qualitatem, & prorsus incorporeum. Nam simplex qualitas inquiunt, à speculi concauitate vniri nullo mobo posset. Vnde mirari non debemus, si non solum Epicurus, verum etiam Democritus, qui fuit maximus Philosophus, asseruit lumen esse defluxum quendam corpusculorum à lucido corpore egredientium. Hoc autem sibi persuaserunt, vt optimè explicat Lucretius in quarto libro, & vnà cum eo Priscianus Lydius, propter quasdam

proprie-

proprietates,quæ lumini attribui solēt, quas etiam corporibus omnes attribuunt. Dicimus enim lumen nedum calfacere,sed etiam secari,ferri, intersecari; & alia huiusmodi multa enunciamus,quæ solis corporibus conueniunt. Sed nihilominus argumentum quod ex ignis accensione suborta in stipula quæ ponitur in concauo speculo radijs solaribus perpendiculariter opposito, maiorem vim habere videtur,ad probandum lumen expers omnino non esse cuiuscunq; corporeitatis. Alij tamen hoc negātes inquiunt id fieri, quia lumen perficit diaphanū; diaphaneitas autem aeris perfectior reddita, est in causa,vt rarefactio maior aeris sequatur: lumen .n. disgregandi,& rarefaciendi vim habet; rarefactioni verò subsequitur calfactio; quæ maior adhuc subsequitur & ignita facilius imprimitur in materia magis disposita, qualis est stipula, vel consimile corpus in concauo speculo impositum, & admotum. Nam etiam aer sui natura calidus est apta materia ad formam ignis recipiendam. Quod autem rarefactio caliditatis causa sit,patet etiam in his durioribus,siccisq; corporibus, quæ dum velociori motu inuicem fricantur,ex rarefactione ignescūt, & ardēt. Quamuis autem multi lumen in corporeum esse statuant; tamen adeo inter se discrepant, vt nihil certi,& veri inde haurire valeamus. Nam Plato decimo de Repub. & in Phædone, quem deinde explicat,& sequuntur Priscianus Lydius, & Plotinus in lib. de visione,voluit lumen esse substantiam incorpoream, quæ separatim sua præsentia totum mundum perficeret, quemadmodum anima rationalis non hœrens,sed presens,siue assistens corpori, perficit

cit illud. Ex quo Platonis decreto elicimus ipsum lumen mundi animam dici posse: quia etiam rationalis anima dicitur corporis endelechia siue perfectio, etiamsi forma ipsius sit assistens, & non informans, vt vult Auerrhoes. Quidam alij dixerunt, lumen esse formam substantialem medij, non quatenus medium est, sed prout est perspicuum: etiamsi decipiantur, quia quod vni est accidens, alteri non potest esse substantia, sed lumen est accidens medij, quia adest, & abest, sine eius corruptione: ergo non potest esse substantia perspicui. Nonnulli arbitrantur lumen nihil esse positiuum, sed tantummodo esse præsentiam corporis lucidi, quæ è regione corporis, quod illuminari debet, posita sit. Quod probãt Aristotelis testimonio in lib. 2. de Anima, cap. de visu, & lib. de sensu & sensili, cap. 7. dum quærens, quo modo lumen per totum medium diffundatur; & soluens inquit, lumen (vt etiam notat Aphrodisæus 1. de Anima) esse habitudinem lucentis ad id quod illustratur. Quæ tamen sententia nec uera, nec probabilis est. Ex Aristotelis autem placitis lumen est qualitas, quia per eam denominamur quales. Et sicuti elementa habent primas qualitates, per quas agunt; ita & primum alterans hanc nobilissimam qualitatem habet, nempe lumen. Pertinere autem vult ad tertiam qualitatis speciem. Sed aduersus Aristotelem dubitat Theophrastus inquiens: Si est qualitas, cur Aristoteles eam vocat energiam, id est actionem? Et si est actio, cuius est actio? Iamblicus pariter aduersus Aristotelis sententiam multas affert instantias, vt refert Priscianus Lydius in lib. de Anima super Theophrast. cap. 19. & pluribus

rationibus, ijsq; satis validis probat lumen non esse qualitatem: Imò præter Iamblici instantias aliæ sunt difficiliores: quia vel lumen creatur, vel educitur de potentia materię: non primum, quia esset grauis error: Si educitur de potentia materiæ; ergo in tempore, quia omnem generationem præcedit alteratio. Insuper nullus effectus est maior sua causa; si lumen effectus est solis ergo non debet moueri celeriore motu, quam sol moueatur; At sol in tempore mouetur: Quomodo ergo dicimus, lumen in instanti moueri, & medium illustrare? Adhęc, si Sol illuminat in instanti, ergo est infinitę virtutis, quod patet ex Auerroe, secundo de Cœlo. Amplius si lumen qualitas est, acriter pugnant ad inuicem quærentes, an sit qualitas realis, uel intentionalis. Nam Scotus 2. sentent. distinct. 13. & ante ipsum Aegid. Rom. aiunt, lumen in medio & organo habere esse intentionale. Diuus autem Thom. in prima parte, quęst. 65. artic. 3. & in opusc. 55. inquit, lumen in medio & organo esse reale habere. Nulla enim qualitas intentionalis, ait ipse, potest esse principium effectus realis. Sed lumen in his inferiorbus varias & insignes actiones realiter efficit. Et nulla insuper qualitas intentionalis est per se sensibilis, quemadmodum lumen per se sensibile existit. Caietanus lumen tum reale, tum intentionale esse eminenter continere arbitratus est: quia, vt inquit, lumen propter duas causas datum nobis est: vna est propter rerum productiones; altera propter sensationem, & visum. Hæc porro non sine ratione inculcare voluimus; sed, vt sciant omnes nil obscurius esse lumine, nil luminis essentia densioribus tenebris esse magis inuolutum.

lutum. Quocirca hoc vnum naturalium Philosophorum sapientiam confundere deberet, quod licet lumen nos faciat quamplurimas, & illas quidem pręstantiores rerum differentias cognoscere, tamen per seipsum aut vix, aut, vt puto, nullatenus cognosci potest. Sed quicquid de hac re quis sentiat, certissimum, & indubitatissimum hoc est, cœleste lumen in hæc inferiora calorem secum vehere, & calore mediante in his inferioribus multarum operationum reale principium esse, omniaq; viuificare, & fœcundare. Quantum verò animatorum generationi conferat hic calor à solis potissimum lumine productus, superius ex Aristotelis sententia dictum est, & ipsa experientia patefacit. Quod si quis negaret, calore, sensu, & mente destitutus omnino esset. Concludendum igitur est, quod si per mundi animam lucis calorem per vniuersum diffusum intelligamus, à veritatis tramite non ita recedimus: & tunc, vt superius ostensum est, possumus optimo iure affirmare, huiuscemodi calorem à Solis, cœlestiumq; corporum lumine promanantem vnà cum calore, qui aut in semine, aut in natura subsistit, coniunctum, corpora viuentia effingere, & efformare facilè posse. In stellarum enim lumine omnes formæ inferiores, & sublunares in potentia continentur: ad actum autem perducuntur, dum calor huius luminis cum calore natiuo copulatur. Cum enim calor hic à lumine promanet, & lumen à cœlesti corpore fluat, quod ab ipso viuente, intelligenteque principio continuo circulari motu mouetur, multa gignere & fabricare valet, quæ solus natiuus viuentium calor efformare non valeret. Quamuis

autem Galenus hanc Mundi animam in fine libri de format. fœt. in vter. repudiasse quodammodo visus sit: Nihilominus, si eo modo quem explicauimus, suscipiatur, adeo clarè, & apertè ipsam describit, & sine vlla prorsus ambiguitate complectitur in 17. libr. de vsu part. cap. 1. post medium, vt nihil apertius inueniri possit. Quo etiam in loco nostram de innati caloris & animæ substantia opinionem mirificè (si quis ipsum accuratiùs perlegat) corroborare videtur. Nam & ipsius Mundi animæ, & cœlestis luminis, atq; caloris per vniuersũ diffusi ac permeantis mentionem habuit. Verum pro hac eadem sententia comprobanda habemus etiam clarissimum ipsius Aristotelis testimonium: qui in tertio de generat. animal. cap. 11. hæc formalia profert verba: Generantur autem in terra, humoreq; animalia, & plantæ, quoniam humor in terra, spiritus in humore, calor animalis in vniuerso est, ita vt quodam modo plena sint animæ omnia.

Calorem natiuum animam esse validioribus adhuc argumentis probari posse. Cap. XVI.

CVM autem ijs omnibus obiectionibus, quę ex Galeni dictis emergere videbantur, & probare, supra calorem eminentiorem vim in animantiũ & viuentium procreatione & regimine requiri, satis, superq; responsum sit, remanet, vt hanc nostrã de animæ substantia opinionem validiùs comprobemus. Erit igitur prima ratio: Si anima est quid à calore naturali diuersum, aut id per demonstrationem causæ, siue, vt aiunt, à priori, aut certè demon

stratione

ſtratione effectus, quam etiam à poſteriori, ſiue demonſtrationem quia, vocare ſolent, ſciri poſſet. Sed neutro modo hoc ſciri, & demonſtrari contingit: ergo animam eſſe quid à natiuo calore diuerſum, nulla ratione à naturali Philoſopho poterit affirmari. Minorem propoſitionem ſic oſtendo: Si à priori, & demonſtratione cauſam aſſumente id cognoſci poſſet, oporteret procul dubio cauſam aſſumptã diuerſam eſſe ab ea, quę cauſa proxima conſtituitur geniti caloris, ſeu alterius accidentis, quod non putatur eſſe anima: Sed talis nulla excogitari poteſt: non materia, non efficiens, non forma, nõ finis: ergo demonſtratione cauſam aſſumente non poteſt id cognoſci. Quod autem nulla talis cauſa poſſit inueniri, ex eo facilè probatur, quia ex eadem materia omnes formę producuntur tam accidentales, quam ſubſtantiales, ſi quæ dantur: Cauſa verò efficiens proxima eadem eſt accidentium & ſubſtantiarum: Et idem calor, qui eſt in ſemine, producet diſpoſitiones proximas, quæ ſunt accidentia, & formam viuentis: quod non multò poſt rectiùs declarabitur. Forma autem viuentium eſt ipſamet anima: Nec idem per ſeipſum ſciri poteſt: nam idem medium ſciendi eſſet, atque ſcitum, quod eſt abſurdum. Neq; etiam finis aliquis excogitabitur, à quo diuerſitas hęc ducatur. Si enim fingamus eum, quem multi iactant; vt ſcil. tam multa accidentia & partes, quæ ſunt in viuente ab vna anima tanquam forma contineantur, nihil, quod momentaneum ſit adducimus. Nam potiùs contrà quam iſti fingunt, reipſa euenit; vt videlicet non accidentia à ſubſtantijs contineantur, ſed potius ab acciden

tibus ſubſtantiæ. Eædem enim ſunt cauſæ conſeruantes rei, & continentes, quę generantes fuerunt: Sed proximæ generantes cauſæ fuerunt accidentia diſponentia: Ergo hęc eadem continentia ſtatuenda erunt. Inſuper ſubſtantia non corrumpitur, niſi quia corrumpuntur accidentia, quæ conſeruant: ergo natura & tempore prius eſt contineri, & ſeruari in materia accidentia, quam formam ipſam. Si enim, Præſtantiſſime Amalthee, vt ait Ariſtoteles in primo poſter. cap. x. affirmatio eſt cauſa eſſe, erit negatio cauſa non eſſe, & e contra: Sed non contineri, nec permanere accidentia in materia eſt cauſa, cur nec forma ſubſtantialis contineatur: Ergo, ſi hæc retinetur, cauſa illa ipſa erunt. Et quoniam quæ ad hunc locum pertinent, ſpectant etiam ad rationes cõtrarias, quæ deinde refellendæ erunt; ideo ad alteram propoſitæ argumentationis partem explicandam accedo: In qua dictum eſt, demonſtratione effectus, ſiue à poſteriori diſcrepantiam animæ, & caloris naturalis nullo pacto cognoſci. Hoc igitur demonſtrare facillimum eſſe exiſtimo. Concedunt Peripatetici (& nos ſuprà Ariſtotelis auctoritatem adduximus) nullum eſſe officium, nullum munus, ſiue opus viuentis, quod à naturali calore non adminiſtretur, cui ſententiæ in omnibus Hippocrates, Galenusque conſentiunt. Sed addũt Peripatetici, & Ariſtotelis ſequaces, quod cum aliquod viuentis opus adminiſtratur, calorem viuentis innatum à ſuperiori quadam agente cauſa regi & gubernari, vt malleus à fabro ad opus fabrile dirigitur. Inquiunt autem talem cauſam animam eſſe: quod vtinam quam facilè, ita tam verè diceretur.

Etenim

Etenim, si certum est illud eorundem Peripateticorum principium, quod scil. actione internoscitur forma, sicuti passione materia; illud quoq; minimè ambigendum est, diuersitate actionum diuersitatē concludi formarum. Verum nulla est actio animæ ab ea actione diuersa, quam innatus calor producit: Ergo nec intelligi potest, aliam esse animæ, aliam innati caloris essentiam. Vt enim diuersitas actionis agentium causarum diuersitatem ostendit; ita vnitas actionis vnitatem indicat agentis principij. Hoc autem magis adhuc confirmari potest. In ijs enim functionibus, quæ minus instrumentorum vi, quam principalis agentis facultate existunt & obeūtur, cernimus diuersa quædam, quæ diuersitatem instrumenti, & principalis agentis palàm indicant. Intuemur, inquam, aliquid, quod per se ad instrumentum refertur; aliquod etiam, quod per se ad artificem spectat. Exempli causa in scamni sectione duo quædam contemplamur valde diuersa, ipsam videlicet rem, & actionem illam, quę dicitur sectio, & modum, siue artificium sectionis, quo quidem modo & artificio sua opera faber lignarius, & artifex molitur. Sicuti autē primam actionem, & sectionem ipsam ad serram ipsam verè & propriè; ita secundam, artificiosam videlicet sectionem ad artificem, siue ad illius artē, & ideam referimus. Si igitur in actionibus viuentis nihil omnino est (ratiocinium, & alias ad intellectum attinentes operationes excludimus) quod à calore naturali non administretur, vel, vt clarius, ac melius loquar, nihil planè est, quod non possit ad calorem naturalem reduci, quemadmodum fusè in

supe-

ſuperioribus capitibus probauimus,cur,quæſo, volumus , præter hunc, aliam cauſam agentem inducere,&entia ſine aliqua neceſsitate multiplicare , & otioſa ponere? Iſtud videtur mihi non philoſophari,ſed potius diuinare,ac ſomniare . Secunda ratio illa eſſe poteſt : Illud per ſe generatur, quod per ſe corrumpitur: eiuſdem enim eſt generatio,& corruptio: Sed illud quod in viuentibus per ſe corrumpitur , eſt calor naturalis , vt habemus apud ipſummet Ariſtotelem,qui in libro de Iuuent.&Senectut. & in libro de Mort.& Vita , mortem definit inquiens,eſſe corruptionem calidi: Ergo idem calor per ſe generatur in viuentibus , & propter hunc gigni viuentia dicuntur . Qui quam diu perdurat, & in viuentium corporibus manet (vti ex ipſius quoq; Hippocratis auctoritate 5.in *6.*Epidem. ſuperius oſtendimus) tamdiu proprias actiones exercent , reguntur & viuunt. Tertiò hunc in modum poſſumus arguere : Principium proximum educens formam geniti, & ipſa forma geniti virtute illius principij educta eiuſdem debet eſſe ſubſtantiæ : Sed principium immediatum animalis formam educens eſt calor ſeminis,cùm re uera in vtero,& loco generationi dicato nulla ſit alia *vis & facultas* animalis opifex : Ergo anima per quam gignitur animal , & calor ſeminis gignens eiuſdem erunt ſubſtantiæ: ac ſubinde anima erit calor . His quartam poſſumus ad nectere rationem , dicendo nullam cauſam eſſe, nullamq; coniecturam , quæ nos cogat nutrientem ac ſentientem animam à calore diuerſam exiſtimare: Ergo anima eadem erit cum ipſo calore. Et quia probatio ipſius aſſumpti ex confutatione patebit

omnium

omnium argumentorum, quibus ad nostram senten tiam euertendam aduersarij vti possunt, ideo pro huius tractatus complemento, reliquum erit, vt singulis eorum argumentis singulas solutiones subijciamus.

Confutatio quorundam argumentorum, quibus Aristotelis Asseclæ Galeni sententiam euertere conantur: Et primum, quo pacto Semen animatum esse possit. Cap. XVII.

CVm autem plura argumenta aduersus Hippocratis & Galeni decretum, à nobis solidis rationibus comprobatum, illi, qui Aristotelem sequuntur, iactare consueuerint; ego tantummodo potiora, & quę firmiora videntur, & ad quę reliqua omnia, si quæ sunt, redigi possunt, in medium afferre operæ pretium duxi, ne scilicet noster hic labor nobis nimis operosus, & alijs valde tædiosus euadat: Et inter hæc illa primum breuibus percurram, quæ longiori non egent contemplatione, vt mox ad illa tã dem, & postremo loco deueniam, quæ & longiori discursu indigent, & tum Philosophis, tum Medicis ad vitæ potissimum conseruationem, maximam vtilitatem afferre valeant. Vt autem ab illo sumamus initiũ, quod cũ superiùs dictis maiorẽ habet affinitatem, eò, quia scil. plura de facultate animalium formatrice, quę in semine est, à nobis vltimo loco scripta sunt, Inquiunt aduersarij: In semine insitus est calor naturalis, opifex membrorum, & ipsorum animalium parens: Si igitur hic calor est anima; ergo semen est animatum. Si sic, ergo nutrietur, & sentiet,

tiet, præsertim si loquamur de animalium semine. Nec enim anima esse potest sine actu vitali, neq; hic sine nutritione. Huic porro argumento mihi facile est Galenum respondentem adducere: qui lib. 1. de Semin. cap. 6. clarè fatetur, semen insitas habere facultates, & attractricem præsertim, quæ semper operetur. Quantacunq; enim (ait) seminis pars vuluã attingit, ea statim membrana efficitur (de qua loquutus in superiori capite dixerat, ipsam post conceptum fœtum ipsum statim inuoluere, & quibus in partibus sit vtero coniuncta declarauerat) quemadmodum paulo ante ostensum est. Reliquum omne facultates, ac vires insitas habet, attrahentem alteram sibi accommodata, qua contineret, immutaretq; materias, cibumq; sibi præpararet; aliena alteram, & superuacanea excernentem. Materias itẽ habet proprias, quas attrahat à vulua, sanguinem & spiritum, per orificia videlicet, quibus connexũ est. Verum si Galeni dictis non acquiescant, possumus dicere non quemlibet calorem esse animam, sed eum solummodo, qui ex certa quadã materia, & in certo loco generatur. Cum igitur duplex sit calor naturalis: vnus generans; alter verò generatus; huic profectò nomen animæ tribuitur. Ita .n. comparatum est à natura, vt anima generetur, non autem generet. Quod si quis inferat, ergo quod magis perfectum est, ab eo, quod est magis imperfectum, generatur; Huic possumus dupliciter respondere: primùm per reiectionem. Nam qui ponunt in rebus naturalibus substantialem formam esse diuersam à complexione, & aceruo accidentium, coguntur fateri, vel formam substantialem carere causa

educente,& producente;vel certè eius non esse nisi accidentia; cum illa tantum agentia educant, quę agunt: Agunt autem sola accidentia, vt sensui compertum est. Secundò dici potest, & verissimè idem principium productiuum,prout in materiam variã incidit,varias etiam producere formas. Cui rei testimonium adfert in operationibus artificiosis ipse ignis: qui prout diuersimodè præparatam,affectâq; materiã comprehendit: ita varias,& dissimiles formas fingit. Imò addi quoq; potest, calorem, quo res viuentes ac sentientes producuntur, dupliciter spectari posse: vno modo,vt calor est sic in materia sua peculiari, ac propria temperatus; altero modo, vt toties diximus,prout coniungitur cum calore cœlesti,quod instrumentum est intelligentis animæ,ac mouentis coelum: Quæ cum motu & luce, quæ moderationem & temperationem variam accipit à motu, perpetuum efficit (Aristotele docente in calce secundi de Generat.& Corrupt.) rerum mortalium ortum & interitum. Priori autem modo naturalis calor,qui in semine residet, fortasse non gigneret viuentem aliquàm substantiam : posteriore modo nõ solum viuentem procreat; sed etiam sentientem; & tam vitę, quam sensus omnis auctor est, propagator, ac custos. Possumus tandem negare aduersariorum consequentiam, dum inquiunt: Si semen est animatum,ergo nutrietur : Quia, vt in nostro de virtutibus cordis tractatu pluribus ab hinc annis demonstrauimus,potest aliquo tempore foetus sine nutritione viuere: quia nutritio præsupponit alimẽti attractionem,alterationem,ac præparationem,siue concoctionem. Sed attractio,alteratio,& conco-

ctio, cum motus sint cum temporis successione, in tempore de necessitate fiunt. Ergo virtus caloris naturalis tempore præcedit alimentum, & multò magis nutritionem, quam alimentũ supponit. Ex quo perspici potest, aliquo temporis spatio animata sine nutritione viuere, etiamsi insitas habeant vires, quibus omnia viuentium munera possint obire. Sed rursus instabunt: Anima est actus corporis organici, ex Aristot. in principio secundi de Anima: Si igitur calor naturalis est anima; ergo requirit corpus organicum. Sed cum naturalis calor sit in viuentium seminibus, ipsa semina erunt organica, & corpora dissimilaria. Hoc autem dici non potest, cum semen res quædam sit similaris, & vnaquæq; pars seminis vim & nomen seminis retineat. Quibus respondeo negando, animam non residere in corpore similari. Nam illius proximum, immediatumq; subiectum est materia & pars similaris: imò partes, quibus primum vita & actiones in organo referuntur acceptæ, vt toties è Galeno colligere valemus, sunt partes similares. Nam & caro, & vena, & neruus, & os, partes sunt similares, quæ tamen omnes anima sunt informatæ. Et si rursus quærant, cur in definitione animæ ponatur corpus organicum, dicam id fieri, quia natura non producit animam propter vnam aliquam partem; sed propter multas, quæ mutua conspiratione & consensu corpus vnum organicum, & ex multis membris concretum efficiunt.

Calor innatus licet accidens sit, nihilominus viuentium anima statui potest. Cap. XVIII.

ADdunt insuper qui Aristotelem tuentur, secundum argumentum, cui tantam efficaciam attribuunt, vt illud insolubile esse arbitrentur. Si .n. (inquiunt) nihil aliud est anima, nisi naturalis calor; ergo ipsa erit accidens. Sed huiuscemodi consequens est adeo absurdum, vt toletari nullo modo possit: quia ipsa nullo modo potest dici, aut esse accidens: Ergo & antecedens erit ab omni veritate alienum. Probant autem consequentis falsitatem, & impossibilitatem, quia, vt ipsi dicunt, incommoda innumerabilia sequerentur. Nam animal esset ens per accidens: constaret enim ex rebus diuersorum prædicamentorum, ex qualitate videlicet, ac materia, quæ est substantia. Adhęc actus & potentia, quæ constituunt substantias compositas non essent eiusdem ordinis: anima esset sensibilis; susciperet magis & minus: animalium productio esset alteratio, non autem generatio, cum mutationis terminus accidens sit, non autem aliqua substantia: & pleraq; alia incommoda suborirentur, quæ in reliquis rationibus illorum apparere poterunt. Nos autem respondemus (Compater præstantissime) eum, qui Aristoteli in hac disputatione contradicit, oportere in nonnullis principijs ab eo dissidere, è quibus principijs apta est eius sententia de Anima: non tamen ab ipsa veritate, & à principijs non minus veris deflectere compellitur. Cui quidem veritati longè magis, quam Aristotelis auctoritati ad-

dicti esse debemus. Quapropter dici posset (quæso mihi animum adhibe) ex duobus entibus diuersorum prædicamentorum non posse vnum ens per se constitui, esse quidem principium in Peripateticorum disciplina: Sed apud illos, qui ex aliena sunt familia, nec esse quidem conclusionem affirmare valemus. Si enim potentia, quæ est accidens relatiuum (vt grauissimorum auctorum in Peripateticorum scholis est opinio) essentiam constituit materiæ primę, quæ in suo genere est vnum ens per se, non autem duo entia; cur hoc ipsum non potest efficere calor naturalis cum materia præparata, & eo modo affecta, quo esse debet viuentium natura? Deinde, quæ, quæso, fraus esset inexpiabilis negare viuens mortale esse vnum aliquod ens per se? Cur nō possumus arbitrari esse complexionem omnium accidentium cum materia, & naturali calore? Nam ceteras res mortales nihil aliud habere, pręter materiam, & accidentia, est valde probabile: Quæ tunc generari dicuntur, cum aut omnia, aut pene omnia accidentia gignuntur: corrumpi verò, cum aut omnia, aut pene omnia corrumpuntur. De ordine porro actus & potentię retorquetur argumentum. Nam potentia materiæ est accidens: proportionem ergo seruat cum calore naturali, quod est item accidens. Nec vlla ratione negare debemus posse animam sensu percipi, si sit natiuus calor. Hoc enim nostram sententiam necessario consequitur; & comitatur; sicuti cum Aristotelis opinione necessariò coniunctum est, animam non esse sensibilem, si non sit aliquod accidens. Sed tamen neque credendum est naturalem calorem

semper

ſemper ſentiri poſſe, cum inſit in multis herbis, ſeminibus, & plantis, omnem ſenſum effugiens: imò & in multis animalibus adeo reconditus eſt, vt tactui, qui caloris eſt iudex, frigidiora potius percipiantur. Poſſumus inſuper reſpondere calorem naturalem minimè ſenſibilem eſſe in eo, quod naturalis eſt, ſed ſolum in genere & quatenus calor eſt. Nam vt eſt naturalis, eſt penitus inſitus in viuentium partibus, ac membris; ita, vt accidat illi ſentiri, & non ſentiri. Si enim ſit magnus & copioſus, tangi, ſentiriq; poterit: Sin exiguus ac tenuis, non ſentitur. Pariter determinatus ille gradus caliditatis, & cum humiditate mixtio illa determinata, aliqua quidem ratione percipi poterit; ſed tactu ac ſenſu aut vix, aut nullatenus iudicari. Sed veriſſimè dictum eſt, quòd ſi plurimas plantas attrectauerimus, calorem minimè ſentiemus, quia in his eſt exiguus. Quare, vt rectè docet Theophraſtus, ope ſolaris lucis, & caloris ab ea prodeuntis plantę mirificè iuuantur, Quod ſi membrum ſanguinei animalis attrectauerimus, calidum profectò percipiemus, tum quia in eo natiuus calor eſt maior; tum quia propter influentis caloris copiam, & euaporationē, quæ ab eius corpore iugiter fit, exhalationes & vapores, qui per totum corpus ſanguinei animalis diſperſi, & diſſeminati ſunt, facillimè ſentiuntur. Neq; verò vllum eſt abſurdum, calorem & animā ſuſcipere magis, & minus, cū id ipſum cernamus in cunctis viuentiū operationibus. Nā & concoctio, & nutritio, & attractio, & appetitio actiones ſunt, quę intenduntur & remittūtur. Quod ſi dicāt intendi, & remitti, quia intenditur, & remittitur animę di-

ſpoſitio; quid tum ? Materiæ diſpoſitionem neceſ ſariò ſequetur forma corruptibilis. Nam ſi demus, læſa complexione, & temperatione materiæ, non læ di eſſentiam formæ, hanc faciemus incorruptibilem. Et nimirum ſicut eſſe formæ eſt neceſſariò coniunctum cum eſſe materiæ præparatæ; ita perfectiùs eſſe formæ cum eſſe perfectiore materiæ. De productione demum animalis ac uiuentis ita pronunciare poſſumus: Si per generationem intelligant procreationem alicuius actus ſubſtantialis, nec viuentis rei, nec vllius alterius datur generatio, cum reuera non producantur (vt dictum eſt) niſi accidentia: Sin autem per generationem intelligant productionem cuiuſdam eſſe, quod eſt eſſe ſimpliciter, non autem ſecundum quid, ita productio animalis dicenda erit generatio. Cum enim omnia accidẽtia rei generantur (vt ſuperius diximus) res generari dicitur, & incipere eſſe ſimpliciter. Cum verò vnum aliquod, aut duo quædam non præcipua accidentia generantur, res incipit eſſe ſecundum quid, per quod quidem eſſe in certa ſpecie non conſtituitur.

Quædam alia aduerſariorum argumenta diluuntur. *Caput XIX.*

SEd ad alia ipſorum argumenta diluenda procedamus: Calor eſt vnius ſpeciei, (dicunt ipſi:) Ergo, ſi hic pro anima in viuentibus ſtatuatur, res omnes viuentes, & animatæ erunt vnius & eiuſdem ſpeciei: quod rationi, ac ſenſui repugnat. Quibus hoc in loco reſponſum volo, conſequentiam hanc nullã

eſſe.

esse. Nam calor dupliciter spectari potest: nimirum vel vt actus elementi, & vt qualitas, mixta cum cæteris qualitatibus elementorum; vel vt est naturalis, id est, quatenus est in tali determinata mensura & proportione, & cum tali complexione qualitatũ productus à Stellarum, & Solis calore, qui maximè vitalis est: Primo modo nulli dubium, quòd est vnius speciei; & quatenus talis, omnia viuentia vni ıсdem & eiusdem speciei constitueret: Sed secundo modo consideratus est diuersæ profectò speciei in diuersis viuentium generibus. Neq; enim calorem hunc naturalem credendum est eundem esse cum elementari, cum ille cælestis sit, ac diuinus eodem Aristotele auctore, in 2. lib. de generat. animal. cap. 3. & Hippocrate in libro de carnibus. Insuper sic arguunt: Viuens præcipuè existit propter animam: Si ergo calor natiuus esset anima, sequeretur, quod accidens, cuius existere est inexistere, siue alteri inesse, esset causa substantiæ inexistendi, & magis causa, quam sit, materia subiecta. Quibus respondemus, in animali distinguendam esse substantiam ab ipsa essentia. Nam per illam non est in alio, tanquam in subiecto; per hanc existit in genere & natura viuentis. Illud habet à materia; hoc autem à forma accidentali. Accidentis autem esse dicitur inesse: non quia non propriam obtineat essentiam, & faciat, vt per eam res in certo aliquo gradu existat; sed quia non potest esse, & essentiam tueri naturalem extra materiam: quòd ipsum nulla immutatione verborum cadit esse in quamlibet formam substantialẽ corruptibilem, cuius esse est inesse in materia prima. Addunt pręterea tale argumentum. Si anima

est

est calor naturalis, ergo ab ea non sumetur prædicatio essentialis, sed tantummodo extrinseca, & denominatiua. Sed his neganda est consequentia. Calor enim naturalis, vti dictum est, non perinde est, vt calor elementalis, qui non constituit essentiam viuentium. Naturalis enim calor est forma viuentium, prout viuentia sunt: quocirca ita prædicatur denominatiuè, vt denominatio sit non extrinseca. Vnde hoc loco animaduertendum, non parem esse prędicationem hanc, Res est calida; & hanc, Res est calida calore insito & naturali. illa enim est denominatiua extrinseca; hæc autem intrinseca & essētialis. Addunt insuper: Si calor innatus est anima, ergo substantiæ viuentes erunt omnes in accidentis prędicamento. Nam per rationes formales sunt res in certo aliquo prædicamento. Hoc argumentū ita solui posse arbitror. Propter res varias, & varias rationes, habent esse ea, quæ sunt, in diuersis prædicamentis. Sicut igitur equus propter quantitatem est in prædicamento quantitatis; propter generationem passiuam, in prędicamento passionis: ita propter materiam, quæ est substantia, in prędicamento substantię; propter formam vitalem ac sensitiuam est in prędicamento qualitatis. Postremò tandem hunc in modum arguunt: Si calor naturalis est forma viuentium, ergo vna planta erit magis planta, quam alia; & vnum animal magis animal, quam aliud, cum calor & magis, & minus suscipiat; sequereturq; in eo animali, in quo esset minor naturalis calor, sensus & iudicandi & imaginandi operationes imperfectiores esse. Hoc autem non est verum. Cui argumento etiāsi pars aliqua solutionis antea

fuerit

fuerit in medium allata: est tamen rursus hoc in loco cum reliqua argumentatione diligentiùs exponenda. Tenenda autem sunt omnia hæc illi, qui planè huiuscemodi instantiam, & argumenti difficultatem voluerit profligare: primum cum duæ formæ inter se conferuntur, non posse dici, vnam esse magis formam, quam alteram; quamuis vna possit esse magis perfecta, quam altera. Nec enim calor vt octo est magis calor, quam calor vt sex, licet ille intensior, perfectiorq; sit: Magis enim, quod est in perfectionis gradu, non est magis in gradu ipsius esse simpliciter. Deinde notandum est, in formis accidentalibus magis & minus reciprocari cum perfecto, & imperfecto: Nam maior calor est perfectus, si cum minore conferatur, minor autem imperfectus, si cum maiore comparetur. In formis autem, quæ necessariò connexę sunt cum complexione quadam primarum qualitatum, & ex illa oriuntur, vt est calor naturalis, quod est principiũ vitale & sensitiuum, non idem est maius, & perfectius, minus, & imperfectius: cum in huiusmodi formis maior, minorq; perfectio, non sit intrinseca, vt est in primis qualitatibus, sed extrinseca, id est aliunde pendens & exorta. Ille enim calor naturalis est perfectior, qui coniunctus est cum perfectiore complexione viuentis corporis, & organi, quemadmodum infrà cũ Galeno 2. de temper. & 2. de sem. cap. 5. exactiùs declarabimus: Ille verò naturalis calor est imperfectior qui imperfectiorẽ habet qualitatum humorumq; temperationem, atque complexum. Vnde possumus hic facile intelligere, stultum esse affirmare vnum animal esse magis ani-

mal, quam aliud, licet vnum animal magis perfectum, quam aliud esse dicatur.

Quomodo caloris naturalis merito viuentia ad plures loci differentias moueantur. Cap. XX.

HÆc erant, (Clarissime Compater) potiora aduersariorum argumenta, quæ nostram opinionem euertere posse videbantur, quæ tamen breuioribus, quo fieri potuit, percurrere volui, vt ad illa, quæ ex Aristot. in 2. de Anima, à tex. 38. vsq; ad 41. eliciuntur, & prolixiori, sed longè vtiliori, & iucundiori speculatione digna sunt, citius properarē. Duo autem potissimum sunt: Vnum, dum aiunt: Si anima esset calor, sequeretur quod viuentia penes vnam solummodo motus differentiam mouerētur, nimirum, sursum, quia calor sui natura non nisi sursum mouetur: Alterum est, quia sequeretur, quod viuentia in infinitum excrescerent: nam ignis apposito combustibili semper crescit in infinitum. Quorum vtrumque experientia falsum esse deprehenditur. Nedum enim animalia, verum etiam stirpes & sursum, trunco scilicet, ac ramis, & deorsum, radicibus nimirum mouentur: quæ quidem lationes ad inuicem nedum variæ, sed etiam sunt contrariæ. Pariter nedum stirpes, verum etiā cuncta animalia vsque ad statutam, & determinatam quandam magnitudinem excrescunt, & mox decrescunt, senescunt, & intereunt. Primum autem argumentum prius dissoluemus, vt deinde longiore, & vtiliore contemplatione secundum penitus diluere, & enodare valeamus: Quamuis autem ex his, quæ

quæ ſuperius tradita & probata ſunt, facile poſſit ab vnoquoq; reſponſio elici, qua primum argumentum labefactatur; tamen non ſit ab re vberioris & clarioris doctrinę gratia Galenum lib. de Rigor. cap. 6. huiuſcemodi difficultatem his verbis diſſoluentem audire. Procedet autem diſputatio (inquit) ex Hippocratis principijs, non autem corpuſcula & meatus ſtatuemus corporis noſtri elementa; neq; calorem, motus, aut attritus, aut alterius cuiuſdam cauſæ ſobolem pronunciemus, ſed corpus quidem totum conſpirabile & cōfluxile cenſemus: calorem autem non acquiſitum, neq; animalis generatione poſteriorem, verum ipſum primum, primogenitum, & inſitum: Ac natura ſanè & anima nihil aliud, quàm hic exiſtit. Quare ſi ſubſtantiam per ſe mobilem, & ſemper mobilem ipſum intelligas, haud errabis: ſingula autem hęc ſeorſum indagemus, etſi de ipſis alibi diſcere liceat; in præſentia autem ſermonis continuitas examinanda eſt. Nam calor inſitus ceu ſemper mobilis, neq; intro ſolum, neq; extra fertur; ſed alterum ipſius motum alter ſemper excipit. Celeriter enim ſi intus calor maneret, in immobilitatem ceſſaret: ſi foras efferretur, & hic motus diſſiparet ipſum, atq; hac ratione perderet: modicè autem extinctus, & modicè accenſus, vt Heraclitus aiebat, ſemper mobilis ita perſeuerat. Incenditur igitur, cum ad ima inclinat, alimenti appetens: ab intimis elatus, & vndequaque diſperſus extinguitur. Verum ad ſuperiora exterioraq; lationem, &, vt ita dicam, à ſuo principio explicationem, quod natura calidus ſit, experitur: intrò autem fertur, & deorſum, hoc eſt, ad propriū

principium viam init, quoniam frigidi aliquatenus particeps est: quippe ex calido & frigido temperatus. Prima sanè calidi ratione, sua sponte mouetur: atque hoc potissimum ad actiones indiget: magnum tamen ipsi vsum & frigidum exhibet. Solet enim calidum in sublime attolli, ac cum eo alimentum adducere: si autem frigidum non obstaret, etiam longissimè procederet. Fit autem frigidum huiusmodi caloris motui impedimento, ne dispersus aboleatur: quippe periculum est, ne ipse prę leuitate & impetu sursum à corporibus discedat: sed frigidum retinet, impeditq; & vehementiam nimij huius motus tollit. Ex quibus Galeni dictis planè patet, cur in stirpibus nedum varius, verum etiam contrarius fiat motus, sursum scil. ac deorsum. Nā earum innatus calor propria ratione & sua sponte sursum mouetur, & alimentnm, truncum & ramos facile secum ducit. Deorsum autem fertur, & ad ima inclinat alimenti appetens, & quoniam frigiditatis est particeps, & ea attemperatus, cui motui obsequentes stirpiū radices deorsum, ad propriūq; alimentum tendunt. Quamuis autem, vt rectè docet Philosophus 2. de Auim. t. 38. non ihem sit sursum & deorsum singulis, & vniuerso, & in stirpibus radices partibus supernis proportione respōdeant, quia vt se habet caput ad animalia, ita radices se habent ad plantas: cum enim plantæ per radices alimentum capiant, recta ratione radices respondent ori, & dicuntur pars sursum: Nihilominus, si respiciamus ad ordinem vniuersi, Aristoteles absq; ratione carpit Empedoclem, qui quidem non differentiam positionis plantarum, sed vniuersi ordinē

respexit:

respexit, ad quem radices si referantur, deorsum tendere dicuntur. Vti etiam ipse met Aristot. 2. phys. tex. 80. radices phantarum deorsum tendere fassus est. Cur autem in stirpibus hæ duæ solum lationis differentiæ insint; in animalibus verò longè plures, & nedum dilatationis & constrictionis, verum etiã progressiuus motus edatur, ex superius à nobis traditis facilimè patet. Natura siquidem eas viuentibus actiones ac motiones tribuit, quæ eorum animæ, siue natiui caloris facultatibus, & organis sufficiant: Sed stirpes solum vegetalem; animalia etiam sentientem facultatem fuere sortita. Hinc Gal. 1. de symp. caus. cap. 7. hæc nobis scripta reliquit: Nam quoniam cute tenus (ait) vnumquodq; animal in ambientem aerem digeritur, accidit, vt membra, quę sub ea sunt, prima vacuentur: quorum ingenita vis ex proximis sibi alimentum trahit, id, quod vacuatur, reficiens: deinde rursus illa ex ijs, quæ sibi sunt proxima: sicut quæ tertio loco sunt posita, ab ijs, quæ sibi: atq; ita semper per continuum veluti in choro quopiam translatione celerrimè facta, ad ventriculi venas vacuatio peruenit; Hæ verò & solent pariter, & natæ sunt ex ventriculo nutrimentum trahere, perinde vt stirpium radices, quæ in terram sunt demissæ, ab ea. Cum enim hoc opus vniuersum naturale sit, non animale, similiter in stirpibus & animalibus perficitur. Ac in stirpibus quidem terra perpetuò paratum, largumq; alimentum rigantis ritu subministrat, quamdiu cœlitus temporum status pro natura se habet. Quando si ex terra squalloris excessu siccatus est humor, stirpes nutrimenti penuria marcescunt. Animalibus verò vti

terrę

terrę non affixis, pręter vtiq; pauca quędam natura ventrem pro nutrimenti veluti penu fabricauit,quemadmodum ſtirpibus terram. Dedit autem animalibus & penuriæ ſenſum,quò ſcilicet ad cibum, potionemq; proritata in tempore expleantur : vocaturq; eiuſmodi implendi deſiderium appetentia. Ex quibus Galeni verbis liquet, cur plantis motus ſurſum, & deorſum ſatis ſuperq; fuerit : Animalia verò & indigentiæ ſenſu, & motu progresſiuo, ad quęritandum,&apprehendēdum cibum tempore famis,indiguerint. Quo pacto uerò ab extrinſeco appetibili obiecto,& ſenſu,& appetitu, muſculis mediantibus,ope natiui caloris moueantur animalia,ſatis ſuperq; ſuperius declarauimus. Dixit autem in hac citata auctoritate,animalibus, vtpote terrę non affixis naturam ventrem,pro nutrimenti veluti penu,fabricaſſe,uti ſtirpibus terram,præter utiq; pauca quędam,uolens ea animalia nobis innuere, quæ ſtirpanimalia à nonnullis, aut affixa lapidibus ab aliis, uocantur,quæ Gręcis Zoophyta dicta ſunt. Vt autem quæ de motuum in uiuentibus diuerſitate tradita ſunt,perfectiùs ab vnoquoq; percipiantur, in memoriam illud reuocandum eſt, quod,ſicuti fuſiùs docuimus in noſtro primo de occult,ac uenefic. morbis libro, cap. 5. formarum & ſubſtantiarum in natura multi ſunt ordines ex officiorum generibus diſtributi. Cum enim forma natura quædam ſit, & hæc,ut docet Philoſophus in princ. ſecundi lib.phyſic. motionis principium;ideo quæcunq; unius ſimpliciſſimiq; motus cauſa fuerit, ſimpliciſſima illa, & imperfectisſima, & infima iure optimo iudicari debet: Quę uerò multiplicis, uarijq; motus erit opi

fex

fex, perfectior exiſtimabitur, & altioris cuiuſdam ordinis. Sic elementi forma, quia loci mutatione ſurſum tantum, aut deorſum fertur, omnium cenſetur imperfectisſima & abiectisſima: ſtirpis, quę nutritionis etiam, incrementi, procreationiſque motũ ciet, & nedum ſurſum, uerum etiam deorſum fertur, perfectior & nobilior habetur. Hác rurſum abſolutior eſt animantis forma, quę præter hæc ſenſum exhibet, & appetitum, quorum merito nobiliorem, & apertiorem motum confert: ſed nihilominus penes diuerſas animalium formas ualde diuerſum. Nam infimiorem quidem & ſolum dilatationis & conſtrictionis motum illis animalibus natura cõtulit, quæ ſtirpanimalia uocantur: in quorum numero & marinę ſpongię, & conchilia, & buccinæ, & purpuræ, & alia oſtracodermata enumerantur. Paulo apertiorem, & eum motum, qui merito contractionis & expulſionis cuiusdam fit, uermibus, ac plurimis reptilibus donauit. Eminentiorem adhuc illis animalium generibus contulit, quæ perfectiora ſunt, & progresſiuo cientur motu: etiam ſi & in iſtis multi inſuper reperiantur ordines, qui penes plures, & perfectiores, uel pauciores & imperfectiores functiones ſpectantur. De quibus uerba faciens Galenus in 2. lib. de ſemine, cap. 5. ita ſcribit: Quod uerò animalia imperfecta tum in partibus, tum in uniuerſo interdum corpore efficiantur, ſatis ab Ariſtotele demonſtratum eſt. Oculorum autem, quando in horum mentionem incidimus, natura in quibuſdam animalibus adeo perfecta & efficax eſt, ut nihil eis deſit, ſed ſtatim, ubi edita in lucem ſunt, ęquè atq; adulta uideant. In quibuſdam palpebræ aperiuntur,

tur,

tur, longioreq; temporis mora indigent, ut exactè fungi officio suo possint. Iam uero canes, uel prouerbium ait, cœcos præ festinatione catulos parere: quamuis imperfectos potius, si propriè loqui uelis, quam cœcos huiusmodi recens natos catellos dixeris, cum paucissimis post diebus sint inspecturi. At talpas reuera cœcas & esse, & gigni dicendum est. Magis uerò etiam, quam talpæ, pleraq; ostrearum genera, oculis carent. Vremibus autem nulli prorsus quibusdam oculi, quibusdam solum ipsorũ obscurum uestigium inest. Atq; ita fit, ut gradus quosdam natura habere videatur. Primum cum parum à plantis recedens, tactu, hoc est, uno tantum prẹditum sensu animal fingit: Secundum, cum gustatum: Tertium, cum olfactum adiungit: Quarto gradu postmodum progressa auditum: Quinto visum addit. Postea horum ipsorum eas, quas modo dixi, differentias facit. Hæc ille. Omnium tandem suprema & perfectissima est Hominis forma, quæ præter hæc omnia enumerata, mentem, tanquã diuinum munus, ab immortali Deo est consequuta. Quod autem hi omnes & uarij formarum gradus in uiuentibus, & operationum diuersitas (Diuinam hominis Mentem excipio) in uariam atq; diuersã innati caloris copiam, & attemperationem, primò & principaliter, & in uarium organorum, quæ in uiuentibus fiunt, apparatum referantur, apertissimè testatur Galen. lib. de fœtuum format. cap. 3. dum inquit: Cum iam utrosq; uentriculos habuerit cor, & utrasq; has materias, utpote perfecta iam ipsorũ substantia, pulsat, secumq; eadem agitatione arterias mouet: Vnde tunc fœtus non amplius ut planta

ta

ta folummodo, sed vt animal iam administratur, quales sunt hiatulæ, buccinæ, pineæ, ostreæ, patellæ, quæ vel minimo, vel nullo prorsus pulsatili motu indigent. Demonstratum siquidem est pulsus calidis corporibus inesse. Nullum autem animal vel exangue planè calidum; vel plane calidum exangue est. Nam in sangnine, qui in venis est, absq; cordis calore, tepida quędam caliditas insita est. & propterea etiam in iecore. Cor verò quasi ignis quendam focum animalia sortita sunt. Sine corde enim sanguineorum animalium calor persimilis caliditati est, quæ in domibus æstatis tempore sensitur. Sed quemadmodum domus, incenso in ipsa igne, calidior redditur; ita animalium corpus ex corde caliditatem maiorem acquirit, quam ea sit, quæ in venis ac iecore insita est, & sanguine etiam qui in venis & iecore continetur. Hęc ipse. Qui etiam dicebat loco supra citato cap. 5. lib. 2. de semine, Nihil mirum esse, si quemadmodum talpæ oculi exprimi intus incepti foras à natura propelli non potuerunt; ita membra genitalia fœminis intus formata, in exteriorem partem nequiuerunt emergere, ob imbecilliorem videlicet, ac imperfectiorem fœminæ naturam, vt Aristoteles etiam inquit. Sed per naturam, vt sui moris est, neq; voluit, neq; potuit aliud præter calorem ipsũ intelligere: quo potissimum fœmina mare imperfectior est: Et de eadem fœmina postea loquens addat, quòd, cum frigidior & humidior sit mare, ex hoc excrementa ad fœtuum educationem accommodata, alere nata est.

Cur viuentia in molem immensam non excrescant; sed determinatam habeant magnitudinem: & primùm Arist. ratio pro hac re perpenditur, & confutatur. Cap. XXI.

NVNC tandem ad vltimum argumētum, quod sententiam nostram de animę substantia iam explicatā labefactare videtur, me confero. In cuius quidem solutione ex consequenti patebit, quænam sit vera atque legitima, & determinatæ viuentium magnitudinis, & eorum inclinantis æui, & senectutis, & vitæ longitudinis ac breuitatis, & tandem ipsius mortis causa. Dixi (vera atq; legitima) quia, vt ingenuè fatear, neq; Aristotelem ipsum; neq; vllum alium aut ex veteribus, aut ex recentioribus Philosophis vel Medicis vidi (Galenum excipio, qui vt alijs in rebus; ita in hac quoq; fuit admirabilis) qui mihi satisfaciat. Vt autem in hac pulcherrima & vtilissima contemplatione nullus committatur error, & omnis obscuritas, quantum fieri licet, è medio tollatur, ante omnia operæ prætium est Aristotelis argumenti vim exactè perpendere, & explicare. Ipse in tex. 40. & 41. secundi lib. de Anima, aduersus Heraclitum, imò etiam aduersus Magnum Hippocratem, huiuscemodi rationem iactare videtur. Vos putatis naturam ignis esse absolutè causam in plantis & animalibus accretionis & nutritionis, eò quia is solus inter prima corpora videtur nutriri & crescere, sicuti etiam cordis & viuentium calore experientia obseruamus alimētum concoqui, distribui, & in partium substantiam mutari.

tari. Sed ignis eſt potius concauſa, id eſt, animæ inſtrumentum, non autem abſolutè cauſa, qualis eſt ipſa anima. Poteſt autem Ariſtotelis ratio ad formam ſyllogiſticam, & ad ſecundum modum ſecundæ figuræ ſic reduci. Cauſa principalis & abſoluta ea ſtatui debet, quæ rectam efficiendi rationem includit, & operi terminos ſtatutos adhibet. Sed ignis non poteſt eſſe talis: Ergo non eſt cauſa principalis & abſoluta. Maior autem propoſitio ex eo probatur, quia omnium natura conſtantium terminus proprius eſt & ratio magnitudinis & accretionis: Natura ſiquidem infinitum renuit, & terminos quærit & expoſcit. Minor ex eo oſtendi poteſt: quia ignis creſcit in infinitum, ſi ei apponatur combuſtibile: Infinitum autem terminis proprijs deſtitutum eſt. Argumenti Ariſtotelici forma declarata, videamus modo, quanti ſit momenti: & primũ accipiamus minorem propoſitionem. Dum in ea dicitur, ignem non poſſe includere rectam efficiendi rationem, & operi terminum adhibere, eò quia, ſi ei apponatur combuſtibile, in infinitum creſcit, hanc (pace tanti viri) poſſumus absque vlla hæſitatione negare, imò etiam aſſerere ab Ariſtotele fuiſſe malè & extra rem vſurpatam. Nam etiamſi hanc eandem Hippocratis, & Heracliti ſententiam idem Ariſtot. in 2. de part. animal. cap. 7. reprobare conatus ſit, & in lib. de Longit. & Breuit. vitæ, inſitus calor vitalis ab eo dicatur ſimilis flammæ, quæ ex oleo continenter reficitur, & ſubinde hoc potius igni, quam alijs primis corporibus competat; quia inter ea ſolus videtur nutriri, non quia propriè nutriatur, ſed quia eius adgeneratio nutri-

tioni & generationi est maxime similis ; nihilominus, vt infrà efficacissimis rationibus demonstrabimus, insitus calor vitalis igneus non est, neq; ei est iuncta siccitas, vti verè igneo iungitur calori ; neq; ille est, qui ad instar flammę humidum in corporibus viuentium, tanquam oleum depascit. Apparebit insuper igneum calorem illum esse, cui, absq; vllo ipsius animæ interuentu accretionis terminus in viuentibus adscribendus est. Nam etiamsi verissimum sit, omnium natura constantium terminum proprium esse, & rationem magnitudinis & accretionis ; & naturam infinitum abhorrere, & terminos quęrere & exposcere ; nihilominus, vt toties in libris de Vsu partium Galenus repetit, non statim, vbi natura, siue conditor nostri aliquem finem appetit, ille finis subsequitur, sed prius media quærit, ac parat, quibus finem illum consequi valeat. Sed dicere, animam esse illam, quæ certum & definitum terminum accretionis in viuentibus constituit, est nugari & fabulas texere. Si enim id præstat anima, aliqua causa mediante id præstat. Sed quænam illa sit, nobis declaret Aristoteles. Insuper sibi videtur Aristoteles contradicere, dum primùm inquit, omnium natura constantium definitum esse terminum magnitudinis, & accretionis ; & mox ait, ignem apposito combustili, crescere in infinitum. Si enim hoc combustibile in infinitum, & molem immensam non potest apponi (hoc enim naturę repugnat, vt dictum est) ergo Aristot. probatio nulla est. Si autem posset in immensum combustibile apponi, ergo cresceret ignis in infinitum, ergo falsũ erit, quod

omnium

omnium natura constātium definitus est terminus magnitudinis & accretionis. nam etiam ignis est ex eorum genere, quæ natura constant. Verum quoniam aliquis posset Aristotelem ab hac contradictione vindicare dicendo, aliquod corpus dupliciter accipi posse, videlicet, vel quo ad molem indiuidui, vel quo ad numerum indiuiduorum, & postea affirmare quodlibet corpus, quoad molem indiuidui, ex sua forma terminum nancisci, quia ipsa met forma dicitur terminus, & omnis forma secundum propriā conditionem, & vt est definita natura, secum defert proprios terminos; & ob id in fine huius textus inquit Arist. quod terminare est officium rationis siue formæ, quia natura, quæ forma est, dicitur renuere infinitum, & terminum querere. Sed quo ad numerum indiuiduorum, ex se definitum non esse, veluti singularium animalium non est numerus definitus, sed terminum recipiunt vel ex ordine vniuersi, vel ex ipsa materia, sine qua indiuiduorum numerus in infinitum non excrescit: Et deinde addere posset, ignem, sicuti etiam reliqua elementa, esse quendam indiuiduorum numerum, quæ sunt simul iuncta, adeo vt actu sint vnum, sed potestate tot sint, quot sunt partes eorum, quæ aptæ sint separatim subsistere; Et tandem dicere ignem, qui ab Aristotele dicitur crescere in infinitum, non esse indiuiduum vnum, sed indiuiduorum multitudinem simul iunctam: Et quia insuper nedum ab Hyppocrate, verum etiam à Galeno, vitalis calor, qui corpora nostra regit, atq; conseruat, sæpissimè ipsi igni comparatur; & sicuti ignis si non penes molem, saltem penes durationem, si continui ei apponatur combu

stibile,

ſtibile, videtur perpetuo poſse conſeruari; ita aliquis maximo iure poſset ambigere, cur noſter vitalis, ſiue naturalis calor ex aſſidua alimenti appoſitione vſq; in infinitum non perduret: Eapropter, Excellentiſſime Octaui, duo hæc potiſſima debemus pro virili primum aperire, & firmisſimis rationibus fulcire: Vnum erit, quod noſter innatus, ſiue vitalis calor igneus non eſt, nec ad inſtar flammę, vt putauit Ariſtot. loco ſuperius citato, & multi alij cum eo lapſi ſunt, humidum in corporibus viuentium veluti oleum depaſcit: Alterum, quod cauſa præcipua, & principalis, quæ in viuentibus corporibus terminũ, & certam magnitudinem & accretionem præſcribit, non eſt anima, ſed igneus calor, qui in viuentium corporibus, à natura, ſiue noſtri conditore ab ortus primordijs inſitus fuit. His enim duobus exactè declaratis, & comprobatis, reliqua omnia, quę in huius capitis principio declarare pollicitus ſum, facilè manifeſta fient, & quamuis præſens diſcurſus vniuerſalis futurus ſit, & ad omnia viuentium genera adapti posſit; nihilominus præſertim ad hominẽ ipſum, tanquam ad reliquorum omnium animatorum metrum, ac optimam legem atq; menſuram, ſermonem noſtrum, vt vtilior euadat, poſthac ſæpiùs accomodabimus. Neq; id ab re, cum nedum ſtirpes omnes; verum etiam omnia animalium genera in gratiam hominis, tanquam in præcipuum finem à ſummo Opifice producta fuerint.

Innatum calorem non ſiccum & igneum, ſed humidum, & aereum eſſe, & ſubinde noſtrum corpus & humidum non depaſcere, ſed potius regere, & conſeruare. Cap. XXII.

QVod autem natiuus calor ſui natura igneus, & ſqualidus non ſit, verum potius aereus & humidus, ſuperius in huius libri capite decimo & Galeni auctoritatibus quàm plurimis, & rationibus oſtenſum à nobis eſt. Idcirco enim de eius quidditate tractauimus, vt deinde nonnullis propoſitionibus, ſiue principijs ex eius eſſentia declarata deſumptis, ad ea, quę dicenda erant, vteremur. Galenus itaq; nedum in lib. contra Lycum protulit innatum calidum eſſe ſubſtantiam ſeminalem, ſanguineamq;, ſpiritibus, & calore affectam, ac ſubinde aeream & calidam & humidam: verum etiam in primo de natur. human. com. 39. in 1. de Tuend. cap. 2. & 1. de Elemen. innatum hunc calorem in ſpiritibus reſidere ait, ſicut ſpiritus in ſemine & ſanguine ſubſiſtunt, nec non aliqua ex parte in triplici Solidarum partium humiditate: & 1. Aphor. com. 14 ſcribebat eius ſubſtantiam aeream eſſe & aqueam, ſicut ex ſemine licet coniectari, quod paucam ſubſtantiam terream omnino participat, plurimum autem aeris calidi humidiq; in ſe ipſo continet. Et 5. ſimplic. cap. 9. dicebat, quod nihil prohibet ſanguineam ſubſtantiam ſimulq; aeream aut etiam ſeminalem vnà cum ſpiritu calidum inaudire innatum. quam ſententiam nos poſtea rationibus probauimus. Simili modo calorem natiuum corpus noſtrum,

strum, & humidum non depascere in sequenti capi te, nimirum, xi. huius libri, Galeni auctoritate pro batum est. Qui in lib. de Marco r. cap. 3. aduersus illos insurgens, qui falsò à natiuo calore corpora no stra, vt ab igne ligna, cōsumi putabant, scribebat a- nimalia omnia nupergenita, vt etiam stirpes, humi da esse, non tamen calorem nostrum flammæ ignis comparandum esse: Quia animalia non ita nati- uum calorem ab eo, qui ipsa effinxit, nacta sunt, sed vt ab eo augerentur: & gubernarentur. & mox ad- debat, huiuscemodi innatum calorem & alimentum ad se trahere, & materiam dispensare, & apponere, & agglutinare, & assimilare, & (in summa) omnia sec us, quam flamma in materia sibi innata efficere, vti loco citato fusiùs diximus. Quocirca si verissi- mu m est, ignem & flammam vim tantum habere perdendi materiam, qua alitur, vt Galenus ait, nul lam verò reficiendi; natiuum autem calorem suā materiam conseruandi, augendi, & à rebus contra- rijs, atq; adeo ab omni calamitate defendendi; quo modo possumus unquam cum Fernelio, & tot alijs, animum inducere, ut credamus, illud ipsum, quod certissimum est uitæ principium, nobis perniciem in omni uita machinari, eandemq; causam & uita- lem, & mortiferam esse? Sed missa pro nunc Ga- leni auctoritate alioquin apud nos maxima non sit ab re hoc idem & ipsius Aristotelis auctoritate, & firmissimis rationibus comprobare. In auctoritati- bus enim illa eligenda est, quę sit omni pondere & existimatione grauior. Sed, quæso, quęnam aut Medicorum, aut Philosophorum uox est, & aucto- ritas, quæ non sit Aristotelis dignitate & opinione

inferior?

inferior? Sed ipse sępissimè Galeni sententiam indicat, atq; confirmat, statuitq; calorem in animantis membris infusum nec igneum esse, nec eius succi & humidi consumptorem, ex quo nunquam sine suo interitu secerni potest. Hæc enim duo vicissim retro commeant, calorem igneum esse, & naturæ animantium consumptorem. Quare vt planè liqueat, calorem conseruatorem esse insiti & primigenei humoris, nullo autem modo euersorem, probandum adhuc magis est ex Aristotele, naturalem calorem humidum esse & aereum, nullo verò pactò igneum, & siccum. Arist. igitur secundo libro de generat. animal. cap. 3. apertissimis verbis testatur, calorem in animalibus nec ignem esse, nec ab igne ortum ducere. Et in primo cap. eiusd. libri docuerat, siccitatem rem esse vitæ inimicissimam, humorem autem amicissimum. Ergo cum nihil amicius vitę sit, quam calor naturalis, hunc humidum esse oportet, non siccum. Insuper in lib. de long. & breuit. vitę, hoc ponit tanquam certum, vitam contineri humore calido, seu humore & calore: siccum verò & frigidum interitus causam adducere. Vnde si naturalis calor adiūctam haberet siccitatem, quæ calorem acuit, quis non videt, eum exitio futurum esse, non saluti? Quare in eodem libro addit, copiosum humorem causam esse vitę longinquioris, quia diutiùs siccitati resistit, & magnam vim caloris ait vitam prorogare, quoniam facit, ne humor frigore concrescat, & pereat. Scribitque calorem hunc in quibusdam rebus pinguem seruari, ad siccitatem & refrigerationem arcendam; in alijs alio succi genere pręditum esse. Et paulo post adiun-

git, plantas esse diuturnioris vitę, quam animalia, quoniam humorem habent minus dilutum. Verum si calor siccus esset, vitamq; nostram perpetuò exhauriret, cum facilius, & celeriùs exhauriat humorem terrena portione temperatum, quam humorē puriorem, profectò breuius esset vitæ curriculum, qnam viuunt plantę, quam eius vitæ, quam viuūt animalia. Adhæc illud quoq; falsum esset, homines, qui vitam ducunt in regionibus calidioribus diutius ijs viuere, qui frigidas incolunt. Nā quanto maior est calor, tanto maior est humidi consumptio. Verum Aristoteles sentit continenter frigesieri & exarescere naturalem calorem, & hanc ob causam vitam minui & abbreuiari: non autem docet, continenter humidum tanquam pabulum ab intestino calore deuorari. In eodem libro humorem calidum ait esse vitę, & accretionis causam: at eadem est cognatio humoris & caloris, quæ caloris, & humoris. Et sicuti dicimus, humorem vitalem esse calidum, sic vitalem calorem esse humidum. Quare sicuti Arist. sic loquutus est de naturali humore in lib. de diuturn. & breuit. vitæ; ita in libr. de sens. & sensili de calore dixit, eam vim habere, vt diminuat animal, vt conficiat. Et idem Arist. in 4. Meteor. cap. 1. putredinem esse definit interitum proprij & naturalis caloris in quouis humore ab aliena caliditate, quæ rei continentis est. Verum quæ putrescunt, non sunt ignea; ignis enim non putrescit, vt idem ait 4. Meteor. & in lib. de long. & breuit. vitæ exponit. Quare naturalis calor non erit siccus: sic enim igneus esset. Confirmatur testimonio eiusdem Philosophi, qui 26. sect. probl.

18.

18.problem. cum quęsisset, cur Auster sit causa foetidi halitus; respondit, ideo, quod res humidas, & calidas efficit. Hæc autem, inquit, rerum omnium maximè putrescunt. Idem in quarto Meteor. cap. 3. concoctionem, quæ fit in animali, ait esse similem elixationi, quam paulo ante docuerat, non sicco, sed humido calore perfici. Quare si Aristoteli fides adhibenda est, calor viuentis humidus est, non siccus. Quod nunc rationibus quoq; probabimus. Prima igitur erit, quia calor naturalis cum sit auctor, & dux vitæ, ideo eam qualitatem comitem habebit, quę vitę socia est, non mortis: Sed siccitas est socia mortis; humiditas vitæ, vt in libr. de long. & breuit. vit. Arist. docet: Ergo humiditatem sociam habebit. Adhæc calor est qualitas illius materiæ, quę vitæ proximum est subiectum: Sed hęc materia est humida, & calida oleo persimilis, & facilis vt exardescat: Ergo hic calor non cum siccitate, sed cum humore copulatus erit. Deinde, si calor naturalis siccus esset; ergo, quanto esset maior, tanto siccior esset; & cum calor naturalis debeat esse superior ceteris qualitatibus, sequeretur, calorem naturalem celeriter animal interimere, cnm ignis sit acerrimus vitæ hostis, qui si vincat cetera elementa, de eorum salute actum est: vt in febricitantibus euenire conspicimus. Præterea ea constitutio, siue temperatura, quæ plus habet naturalis caloris, est longinquioris temporis: Ergo si naturalis calor foret siccus, fieret etiam, vt calida & sicca corporis habitudo, ac temperatura esset vitę diuturnioris, quam cæterę constitutiones, ac temperaturæ; imò quæ temperamenta maximè chole-

rica essent, longissimæ etiam vitæ essent: Et nihilominus experientia probamus, quod corpus animalis quanto siccius fuerit, atq; calidius, tanto etiã est ad omnem vitæ ruinam procliuius. Denique eius effectus, qui est & dicitur per se, aliqua debet esse causa per se: Sed affectio calida & humida, quę inest in sanguine, per accidens, vt sanguis est (hic enim frigidus est sua natura & siccus, vt ait Arist. 2. de part. animal. cap. 3. sed vt à natura comparatus est ad alendum animal calidus est & humidus) est effectus naturalis: Ergo huius vitalis constitutionis aliqua debet esse causa, cui per se illæ quę qualitates conueniant. Sed causa per se conficiens sanguinem est calor naturalis: Ergo hunc sui natura humidum, & aereum oportet esse. Hinc necessariò possumus astruere, quòd, cum animantium calor, cuius merito in vita permanent, humidus sit, nullo modo vitalem humorem exhaurire valet. Quod triplici ratione concluditur: Quarum prima est: Certissimum est Philosophorum pronunciatũ multifariam ab Aristotele explicatum, & à Peripateticis demonstratum, Actionem quamlibet effici ex contrario. Si igitur calor naturalis agit in suum humidum, oporteret humorem calori esse contrarium. Sed nemo vnquam dixerit, humorem calori esse contrarium, cum vtraq; qualitas miro concordiæ vinculo astricta teneatur. Secundò, si calor naturalis corrumperet suum subiectum, cum hoc sit calidum, & humidum, sequeretur, idem seipsum corrumpere. neque enim corrumpi potest humor, quin calor etiam ipse extinguatur. Tertiò, si flammæ naturam noster calor imitatur; ergo, quanto

maior

maior fuerit, ac robustior, magis, vehementiusque conficiet; quanto fuerit imbecillior, tanto minus conficiet ac consumet: Quomodo fit igitur, vt idem homo, eodem genere & modo cibi contentus hyeme & æstate, æstate langueat, viribus deficiat, frangatur corpus, omnia membra mirum in modum extenuentur; contrà hyeme valeat viribus & corpore (vt ait Hipp. 1. aph. 15.) firmiores sint artus, partesque omnes corporis pleniores? An quia corporis nostri consumptio, vt in sequenti capite docebimus, fit à calore minimè naturali; refectio autē & recreatio est insiti caloris, qui hostili & externo magno conatu semper obsistit? Et hæc de primo, quod probandum erat, satis sint; nunc ad secundum, quod ostendere polliciti fuimus, est transeundum.

In viuentium corporibus calorem igneum & siccum de necessitate reperiri, qui determinatæ magnitudinis, ac senij causa est. Cap. XXIII.

HOc autem erat, vt probaremus, in viuentium corporibus certam ac determinatam magnitudinem non ab anima, vt falso existimauit Aristoteles, sed ab igneo quodam, ac squalido calore, tanquam à proximo & præcipuo agente proficisci. Quod vt firmiori probemus fundamento, eodem tempore & ipsius Galeni auctoritate, & rationibus demonstrabimus, in nostris, imò in omnium viuentium corporibus, prェter innatum calorē, à quo omnis eorum vita & conseruatio dependet, & sui natura humidus, & aereus est, alium calorem inesse, qui

siccus

ſiccus,& igneus eſt,à quo vitalis humor , & viuentium corpus continuo diſſoluitur, & labefactatur. Quamuis autem per demonſtrationem quia,ſiue a ſigno,id ab vnoquoq;, alioquin mediocriter in Logica & Naturali ſcientia exercitato ex his, quæ oſtenſa ſunt,colligi facilè posſit, quia cum experientia ipſa edoceamur, corpora noſtra continuo fluore vexari,& quò magis ſeneſcunt, eò ſicciora fieri, & certisſimè ſciamus, id ab innato calore, qui corpora asſiduò reficit, & humidus eſt, nullo modo fieri poſſe,ſtatim inde colligimus,hoc ab alio calore,qui igneus eſt, de neceſſitate fieri: Nihilominus, quia tale decretum apud aliquos nedum nouum, verum etiam fictitium & abſurdum videri poſſet, illud & auctoritatibus, & rationibus probare aggrediemur. Quantum ſpectat ad auctoritates,ante omnia habemus Galeni teſtimonium,& illud quidem admodum præclarum, quia à rei natura deſumitur,& ratione fulcitur,in 1.ſcilicet de Tuend. valet.cap.2.in quo ſic habet,Sanè(inquiens)quæ corpus noſtrum lædunt,corrumpuntq; , ea ſunt genere duplicia: Altera nobiſcum congenita, & quæ vitare nequeas, quæq; ex ipſis generationis principijs, veluti radice oriuntur: Altera, quę & declinare poſſis,& orta à nobis non ſunt:quę tamen non minus, quam illa,corpus noſtrum conficiunt:quorum vtraque iam ſeorſim diſtinguemus. Sanguis, ſemenq; genitale , generationis noſtrę primordia ſunt : ille, ceu materia quędam apta,concinnaq; & opifici ad quid uis ſequax: hoc opificis rationem obtinens.cō ſtat horum vtrumq; ex iiſdem genere elementis, humido,ſicco,calido,& frigido ; aut, ſi mauis ab eſ

ſentia

ſentia ſumptis nominibus,quam à qualitate,nominaſſe,aqua,terra, igni, & aere. Diſſident hæc inter ſe ipſa temperamenti menſura. Siquidem in ſemine plus eſt igneæ ſubſtantiæ atq; aereæ: in ſanguine, aqueę, terreæq;; quanquam præpollet in hoc quoq; & calidum frigido, & humidum ſicco; & ob eam exuperantiam fit, vt non ſiccus, ſicut oſſa, vnguis,pilusq;, ſed humidus meritò dicatur. At ſemen ſanguine ſiccius quidem eſt: cæterum ipſum quoq; humidum fluxileq; eſt. Atq; ita nobis vtrinq; ex humida ſubſtantia geniture origo proficiſcitur. Hanc tamen humidam ſeruari, conueniens non erat, ſi modo ex ea nerui,arterię,venę, oſſa,cartilagines,membranulę,& ſimilia fieri deberent. Ergo ſtatim in generationis initio coniectum validius oportuit elementum id,quod ſiccandi vim haberet. Eſt uerò id natura quidem maximè ignis; ſed tamen & terra: eſt enim ea quoq; res ſicca. Verum huius plus immiſceri principijs commodum non erat,quod hæc magis humida erant futura. Ignis certè quod non plus ſit admiſtum, nec obſtat quicquam: & ſanè admiſtum eſt tanto plane plus in vtroq; principio,quantum nec iam torreat, viatue,& tamen abundè ſiccet. Quippe etiam tantus calor adhibitus agilitatem præſtare ad motiones ſat erat. Ab hoc igitur primum cogitur,paulũq; concreſcit, quod in vtero conceptum eſt, mox ſiccius redditum,veluti lineamenta quædam,& rudimenta cuiuſq; membri obtinet. Vlterius verò etiã ſicceſcens,non lineamenta,rudimentaue modo,ſed etiam exactam uniuſcuiuſq; ſpeciem oſtendit. Iam uerò in lucem editum, & magnitudine proficit, &

tum

tum ficcius, tum ualentius fe ipfo femper efficitur, donec ad fummum incrementum fit peruentum. Tum uerò & incrementum omne fiftitur, osfibus nimirum ipfis per ficcitatem non ultrà fequacibus. Cuncta deniq; membra non folum robufta fiunt, fed etiam uires fuas fummas obtinent. In eo uerò, quod fequitur, tempore omnibus iam partibus fuprà iuftum ficcefcentibus, non folum cuiufq; officiũ minus probè adminiftratur, fed etiam corpus ipfum macilentius graciliufq;, quam ante, redditur. Ergo ultrà ficcatum non macilentius modo, uerum & rugofum efficitur. Artus quoq; ipfi inualidi, atque ad motus fuos incerti, inconftantefq; probantur. Affectio hęc in animalibus Senium, appellatur, ei, quæ in ftirpibus Ananfis Græcè dicitur, pro portione refpondens. Eft.n. & illa ftirpis fenium fic citatis exceffũ prouenięns. Vna igitur hæc eft omni genito corpori corruptelæ, interitufq; connata neceffitas. Altera eft, quæ etiam in animalibus præcipuè cernitur, totius fubftantiæ fluor, quem infitus calor excitat, Hęc Galenus, Quæ ubi quis diligenter infpexerit, ftatim ei palam fiet, in noftris & omniũ uiuentium corporibus, præter aereum & humidum, alium igneum & ficcum ineffe calorem, à quo ftatutum ac determinatum eorum incrementum, ac fenectus prouenit : & exinde eliciet; cur uiuentium corpora, vt aftruebat Ariftoteles in argmento fuperiùs relato, etiamfi continuò eis alimentum fuppetat, in molem immenfam non excrefcant, imò & decrefcant, fenefcant, & tandem marcore confumpta pereant. Neq; enim igneus calor in noftris corporibus à primordijs generationis inditus, cum fit

agens

agens naturale (quod approximatum passo, & non impeditum agit quantum potest) potest gradum & proprias vires sistere, ac coercere: sed licet ossa, ac solidæ partes iam robustæ, ac firmatæ conuenienter sint: nihilominus vlterius exiccare, ac humidum vitale depascere non desistit, donec ex toto fuerit consumptum, cuius quidem perfectę consumptioni necesse est, vt etiam innati nostri ac humidi, aereique caloris consumptio & corruptio & mors ipsa, quæ huius caloris extinctio est, subsequatur. Quod quidem in alio, & magis proprio loco nimirum libro de Marcore, cap. 3. & 4. etiam superius cap. xi. huius libri pro maiori parte à nobis exarato, hisce verbis idem Galenus adhuc magis confirmauit. Cum enim eorum opinionem reprobasset, qui natiuum calorem flammę ignis assimilabant, & suam sententiam Hippocratis auctoritate probare conabantur, cum dicerent hæc formalia verba ab Hippocr. fuisse conscripta (calor, qui corpora produxit, nos interficit) in primis respondet ipse: ò præstantissimi viri, eum librum, in quo hęc habentur, non esse verũ Hippocratis dicemus: deinde si fuit ea Hippocratis sententia, quomodo enunciata sit, explicãdum fuit, & aliqua afferenda demonstratio: Si verò adhibendã sibi fidem censent eò quòd demonstrationes non suppetant, profectò, non rectè sentiunt. Est illud quidem verum, propter innatũ calorem senescere corpora, atq; corrumpi denique: falsus tamen est modus, quem isti afferunt. Neque enim ab innato calore corpora, vt ligna à flamma consumuntur: atq; hoc fortasse exemplum est ijs, qui à febri corrumpũtur, accommodatum: & quod prædictis verbis persecu-

Z tus

tus est Hippoc. indicare tale quippiam videtur. Est tamen verissimum corpora naturali quadam consecutione exiccari; idq; propter natiuum calorem effici: vti in 1. de tuend. valet. demonstratum est: quod etiam hoc loco repetemus. Natura, quæ stirpes & animalia procreat, corporeum aliquod principium ad illorum ortum omnino capit: quippè cũ nulla res sit, quæ sui ortus initium ab eo, quod penitus non est, possit sumere: Inde verò exorsa ad eum scopum, quem sibi in fabricatione proposuit, semper ordinatè procedit: quod in eo positum est, vt quod facit perfectum reddatur, siue stirps, siue animal sit. illudq; perfectum est, in quo nulla propriarum actionum desideratur. Multæ autem actiones sunt, ad quas duris opus est instrumentis. Quod in causa est, vt multę in auimalibus durę particulæ fiant. Cum verò necesse sit, vt principium ortus ipsarum contrà quàm perfecti animalis postulat ratio, molle sit, vt aptè componi, conformarique possit, suoq; Opifici ad omnia præsto sit; ideo quantumcunq; semen durum sit, mollis tamen stirps editur, cum illud prius moderato humore quodam irrigetur, vt natura fiat pro semine. Quocirca si oportet, vt ortus animalis è molli essentia ducat initium, quæ vt absoluitur, sic redditur dura, certè in prima elementorum, è quibus animal constituitur, temperatione, tum humidum, tum siccum dominetur, necesse est. Atq; humidum quidem aqueũ est: siccum verò est duplicis naturæ, vt vel terreũ, vel igneum sit. Non poterat autem ab initio maior terrei copia admisceri, cum animantis principium esse humidum oporteat. Reliquum igitur modo

est

eſt igneum, quod in primo ortu, primaq; compoſitione neceſſariò exuperat. Si igitur natura, cum animal, aut ſtirpem ad vigorem vsque produxiſſet (& hoc dictum admiratione dignum eſt, & neceſſarium viuentium interitum oſtendens) aliam rurſus elementorum diſpoſitionem, quæ & proportione reſponderet, & æqualis viribus eſſet, inducere potuiſſet; hoc vtiq; ſolum modo eius fabrica vacans, ſenio, & incorrupta permanſiſſet, cum perfectum quempiam ſapientem nacta eſſet. Neque enim mala victus ratione vtens ſic incorrupta ſimpliciter perduraſſet. Ac tum quidem Ægyptius ille ſuam nobis artem in re, quæ fieri poſſet, oſtendiſſet. Nũc verò, cum prima ortus animalium, ſtirpiumq; elementa nec transferri, nec commutari queant, etiam poſt vigorem exiccari corpus neceſſe eſt: quamuis non iam opus ſit, hoc vt patiatur, cum iam vſus, qui ſiccitatem poſtulabat, pertranſierit. Sed declinatio, quæ exiguam ſiccitatem habet, multos fallit, quaſi nondum marcor quidam ſit: At ſenectus, quę ab illa non differt genere, ſed ſola magnitudine, deprehendi facilè poteſt. Hæc cauſa eſt, quæ euidenter oſtendit, ſiccitatem progreſſu temporis eſſe vniuerſis animalibus neceſſariam, niſi quis omnino amens ſit, & ſenectutem nec vitari poſſe, nec ſanari. nam quod primum ortum animantis neceſſario conſequitnr, quo modo prohibebit quiſpiam, ne fiat, aut, cum iam factum ſit, abolebit? Hæc ille. Si quis autem adhuc clarius Galeni teſtimonium exoptat, in noſtris, ac viuentium corporibus duplicem in eſſe calorem comprobans, alterum aereum, & humidum, alterum igneum & ſiccum, ipsũ

diligenter perlegat in expositione decimiquarti aphor, 1. particulę: In qua præter cætera & alia multa, quę rē huiuscemodi apertè cōprobant, hęc formalia habet verba. Hippo. (inquit) cū hoc in lib. propò suisset cōpendiosam, & aphoristicam doctrinā facere, non ita sermonem ampliauit, quemadmodum ego nunc; sed loco istorum verborum, Qui crescūt, & si æqualem habeant substantiam calidam, atq; ignem cum ijs, qui in ætatis vigore consistūt, aquosæ tamen atq; aereæ substantię plus habent: Qui crescunt, dixit, plurimum habent innatum calorē: simul memoriæ subijciens ipsorum substantiam, simul propositum suum demonstrans. Quia enim humidam, & calidam habent substantiam, qui crescunt, idcirco plurimum ab ipsis defluere necessarium est, & plurimo egent alimento; alioquin corpus absumitur; & rectè: Vbi enim id, quod defluit, plurimum est, quod verò influit: paucum: hic necesse est, subiectam corrumpi substantiam. Ex quibus verbis nedum proposita à nobis sententia patet, verum etiam quilibet colligere valet, quod si corporū refectio, & alitio à natiuo & humido calore pendet, eorum digestio, euaporatio, atq; consumptio non nisi ab igneo & sicco calore ortum habebit. Quare Galeni auctoritate patet, quod in quocunq; animato corpore insitus est calor quidam siccus naturali maximè contrarius, qui propriam materiam, siue subiectum naturalis caloris omnibus momentis extenuat, dissipat, ac depascit, à quo cum naturalis calor auelli non possit, & ipse cogitur eandem ruinā, perniciemq; subire, quia cum suo humore ipse extenuatur, consumitur, exhauritur, atque distrahitur.

Hoc

Hoc autem perpetuum naufragium alimento reficit, quo se ac suum vitalem humorē tuetur, semperque quo ad vsq; perdurat, reficere, & resarcire conatur. Quod autem & determinatæ magnitudinis, & inclinantis vigoris & senectutis, & , vno verbo, omnium ruinarum auctor calor sit igneus & siccus, in nostris corporibus à primordijs generationis inditus, rationibus etiam probari potest . Nam primò experientia nos docet, eos, qui sui natura calidi sunt ac sicci temperamenti , breuiori tempore vita priuantur, quàm ij, qui natura calidi sunt & humidi. Adhæc æstiuo tempore propter hunc siccum calorem concidunt animalium corpora, labefactantur vires, debilitatur, & minuitur mirum in modū vitalis humor & calor: neq; enim, vt dictum est, vitalis humor diminui potest, & calor natiuus, qui in eo, ceu proprio subiecto subsistit, integer, & irrefractus remanere . Quod enim efficit calor ignis res humidas offendens, hoc ipsum efficit igneus calor, qui in animantium corporibus residet, dum in res humidas & pingues, cuiusmodi vitalis calor, & humor est, incidit . Sicuti enim humor aqueus, quia frigidus est, ægrè admodum accenditur; ita humor aereus, quia calidus, facile in flammam vertitur. & sicuti lignorum humiditas aquea & inconcocta potius ignem obruit & extinguit: ita ille lignorum humor, qui pinguis & aereus est, & eius radicalis humor, in quo dum vita fruebatur, innatus illius calor residebat, facillimè exardescit, & flammam mittit. Quod autem de temperaturis, & anni temporibus dictum est, illud idem in vitæ institutis & regionibus eandem veritatem habet. Quanto enim magis

citatem, vitæ contrarias qualitates esse protulit. In problematibus verò latiore quadam & populari dicendi ratione contentus nequaquam rationes ita ad tenue elimatas persequitur. Dum autem animantium calorem comparat minori flammæ, quę à maiori opprimitur, non vult significare, maiorem calorem, perinde vt flammam, nostrum calorem vrere & absumere; sed ipsum, cum marcescit, perinde deficere, vt minor flamma languet, & flaccescit à robustiore absorpta. Vt enim maior flamma minorem absorbet, quia minoris materiam deuorat; sic calor externus si fuerit maior, quàm naturalis sit, huius materiam depascit, licet nullam vnquam perniciem suæ materię naturalis calor moliatur. Quòd si rursum quis instet, Aristotelem affirmasse, materiam propriam absumi à calore naturali; respondeo calorem naturalem dupliciter spectari posse, vel vt est naturaliter affectus, & optimè attemperatus, & sic nunquam suum humidum consumit: vel vt est vitiatus, & ab extraneo calore pręter naturã affectus & ita ea omnia efficit, quæ calor externus efficit naturæ inimicus: Et quemadmodũ, vt toties dictum est, legitimum caloris naturalis opus est concoquere, & corpus regere, augere, & nutrire, ita, dum ipsum febrilis æstus, ac perniciosus & igneus inuadit, hoc opus vel intermittit, vel ignauè exercet, & corpus, propriumq; humidum absumit, & rẽ vitę prorsus contrariam perficit. Quod autem hoc verè à nobis dictum sit, illud est magno argumento, quod in eodem libello Aristoteles maiori flammæ comparat calorem naturalem, quem in omnibus alijs locis minori comparauit: quæ sanè compara-

tio leuis esset, ridicula, & secum pugnans, nisi diceremus, calorem naturalem flammam maiorem dictam ab eo fuisse, cum vehementer ab externo calore, penes gradum, & temperiem intenditur, & immutatur. Ex quibus etiam Hippocratis enunciatum 5. in 6. Epid. tex. 5. quod prius satis obscurum erat, apertissimum euadit, dum, scilicet, inquit, quod hominis anima, id est, natiuus calor, semper ad mortem vsq; producitur; sin autem ignescat, hoc est, si ardore febrili corripiatur, simul cum morbo, & febre ipsa, & anima, id est, eodem natiuo calore sui natura humido, corpus depascitur, hoc est, ab igneo calore consumitur, & corrumpitur: Priusquam autem ignesceret, neq; proprium humorem, neq; corpus ipsum depascebatur; sed solum corpus alebat, regebat, ac vsq; ad mortem ab alio calore igneo prouenientem, pro suo posse, conseruabat. Sed tandem videntur quoquo pacto contraria nostrę sententiæ, in qua diximus natiuum calorem humidum esse, Aristotelis verba 35. sect. problem. probl. 12. prolata. Ibi enim, cum necessitatem explicaret respirandi, his verbis loquitur, Spiramus (aiens) quia sicut humor conuertitur in spiritum, sic aer in ignem, qui affert dolorem, & mitigatur spiritu. Verum in hoc loco Aristoteles, vt arbitror, ignem dixit feruorem cordis, qui non est calor naturalis humidus, & aereus, sed potius affectio cordis ex immoderato eius calore profecta, qui calor non modo humidus solum non est, sed etiam plurimas sicci, & ignei caloris partes habet adiunctas. Et hæc ad omnes obiectiones, quæ aduersus Galenum afferri possunt, satis sint.

Cur Homo non omnem, ſed talem habeat determinatam magnitudinem. Cap. XXIV.

SI quis igitur reperiatur, qui has noſtras lucubrationes æquo animo, & accuratè perlegere, exactiùsq; perpendere non recuſet, ei arbitror planum fore, Diuinum Galenum ea omnia, quę de animæ natura ſciri poterant, & quantum ſcilicet humana conditio patiebatur, reliquis omnibus exactiùs cognouiſſe: & ſicuti iure optimo rationalem animam ſe prorſus ignorare faſſus eſt, & nunquam ipſam aut corpoream, aut corruptibilem eſſe affirmare auſus eſt; ita rectiſſimè ſenſiſſe, dum de vegetali, & ſentiente facultate verba faciens, ipſam, vnà cum ſuo prçceptore Hippocrate, nil aliud eſſe, niſi natiuum calorem, eſt arbitratus. Quocirca nil aliud ſupereſſe videretur, niſi vt ex dictis rationalis animæ incorporeitatem, ac æternitatem eliceremus; vt id, quod in huius operis procemio tibi, Excellentiſſime Compater, pollicitus ſum, tandem proſequerer: Sed priusquam id pręſtem, duo alia quæſita ad ipſum hominem particulariùs attinentia, quæ cum prædictis maximam connexionem & affinitatem habent, & forſitan magis vtilia ſunt, mihi enodanda propono. Quorum primum eſt, ſi iam claret determinatam viuentium magnitudinem ab igneo calore in generationis initio ab eorum conditore in eorum ſeminibus, ſiue corporibus indito proficiſci, cur homo, qui omnium animantium eſt finis, ac veluti lex, atq; menſura, talem ac tantam determinatam ſortitus ſit magnitudinem? Secundum

dum illuderit, cur idem homo, alioquin naturæ miraculum,& omnium, quæ à Deo Opt. Max. creata ſunt, compendium, ita vt, referente Galeno 3. de vſu part. cap. x. veluti quendam paruum mundum eſſe dixerint viri veteres naturæ periti, & mortalis, & adeo breuis vitę creatus ſit. Qua de re, quantæ ſint in toto terrarum orbe, apud omnes fere homines, ac præſertim eos, qui non niſi hanc noſtram breuiſſimam vitam diligunt & magnifaciunt, querelæ, omnes norunt. Neque enim Naturales Philoſophos excipio, etiam ſi iſti, vt docet Auerroes in proœmio magni commentarij primi Phyſicorũ, tanquam ij, qui cognoſcentes huius vitæ curriculũ in relatione ad æternitatem, eſſe tanquam punctũ ad lineam, ac ſubinde nullius penè momenti, ipſam parui pendere deberent. Nam Theophraſtus, vt pleroſq; alios breuitatis cauſa prætermittam, dum eſſet prope mortem conſtitutus, de natura conquerebatur, quod elephanti, & coruo longiorem vitã, quam hominibus, dediſſet, inquiens, Heu? cum Philoſophiam incipio, mori cogor. Quocirca ſicuti Galenum à ſuſurronum detractionibus tutati fuimus, decens eſt, vt eodem modo naturam ipſam, ſiue (vt meliùs cum Galeno loquar) noſtri conditorem, & Opificem ab improborum hominum querelis, pro viribus, tueamur. Ad primum quæſitum quod attinet, non eſt, vt vel efficientem, vel materialem huius rei cauſam afferramus, quia ſicuti efficiens ex ſuperiùs enarratis apertiſsima eſt, quia duo calores concutrunt, naturalis quidem, qui corporibus noſtris conueniens incrementum, quantum pro ſuis viribus ſibi permittitur, exhibet; igneus autem

calor illud idem incrementum sistit, vlteriusq; progredi non sinit: ita materialis causa ad ipsam humani corporis temperationem redigitur, quę quidem spectatur penes talem determinatam primorum corporum qualitatum & substantiarum mensuram: vnde, cum vti superiùs dictum est in hoc libro, & in primo lib. de occultis & venef. morbis exactiùs demonstratum, & Galeni auctoritate in primo de temperam. cap. vlt. sancitum, corpus humanum nedum in relatione ad cuncta animalia, verum etiam ad ea omnia, quæ sub cœlo sunt, exquisitissimam, & exactè mediam attemperationem habuerit; ita par erat, vt inter omnia animantia exactè mediocrem inde magnitudinem nancisceretur, quam quidem mediocritatem natura in omnibus semper affectat. Sed debemus ad aliam causam, quæ reliquis omnibus honoratior & eminentior est, confugere, nimirum, ad finem ipsum, cuius gratia reliquæ omnes in esse ponuntur, & de qua Galenus in libro de partium vsu semper principaliter sermonem habet. Quare debemus in memoriam reuocare id, quod superiùs cum Galeno dictum est, nimirum, Naturã, quæ stirpes, & animantia procreat, corporeum aliquod principium ad illorum ortum omnino capere; inde verò exorsam ad eum scopum, quem sibi in fabricatione proposuerat, semper ordinatè procedere: quod in eo positum est, vt quod facit, perfectum reddatur, illudq; perfectum esse, in quo nulla propriarum actionum desideratur. Quæ cum ita sint, verissimum quoque est, hominem ipsum ab optimo omnium Conditore, principaliter quidem ad contemplationem fuisse creatum, vt huius merito

to opificem ſuum cognoſceret, amaret, & tandem poſsideret, ſicuti ea quoq; mediante,eius imaginē, ac ſimilitudinem præ ſe fert. Sed inſuper nedum ad contemplationem,verum etiam ad operationem ipſam, & ad labores fuit effectus homo. Vt enim ex Diuina Hiſtoria habemus, in paradiſo voluptatis poſitus fuit, non vt otiaretur, ſed vt operaretur, & cuſtodiret illum. Non enim abſque operibus congruis, & traditi præcepti cuſtodia, ſui Conditoris gratiam conſequi poterat. Sed inſuper tanta fuit ſui conditoris bonitas, & liberalitas, vt ipſum in omnibus, quantum fieri poterat, ſibi aſſimilari cupiens, iuſſerit, vt idem homo nedum terram propagatione repleret, ac ſibi ſubijceret,verum etiam dominaretur piſcibus maris, volatilibus cœli,& vniuerſis animantibus,quæ mouentur ſuper terram. Verum huiuſcemodi dominium principaliter merito Rationis,quam Galenus 1.de part.vſu artem ante artes vocat,atq; prudētiæ à Deo Opt. fuit conſecutus; ſed ſecundariò & per medium inſtrumentarium, ac neceſſarium illud adipiſcitur merito Manuum,quę & exporrectæ,& tam admirabili artificio fuere conſtructæ, & idcirco organum ante organa ab eodem Galeno nuncupatę. Ad quācunq; enim apprehenſionem mirificè ſunt accommodatę. Quibus, ad progrediendum per quamcunq; loci differentiam,humani pedes, vt Gal. docet 3. de vſu part. admirabili proportione reſpondent. Ceterum neq; manus,neq; pedes, abſq; motu & operatione aliquod vnquam opus abſoluerēt. Cum autem motus ab animali facultate edatur,& id non ſine animalium ſpirituum conſumptione, &

defa-

defatigatione fiat; id circo congruum omnino erat, vt homo ea corporis magnitudine prçditus esset, quç nec ita parua esset, ne ad sibi cuncta animalia subijcienda, esset inepta, nec ita vasta & magna, vt eius motor immodicè defatigaretur, & plurima spirituum animalium copia consumpta, pauci deinde pro cognitione & contemplatione superessent, in quam homo principaliter dirigitur. Mediocrem igitur habuit magnitudinem in relatione ad maxima, & minima animalia: quia sic melius ad ea omnia superanda, & arcenda accommodatur. Huius autem veritatis illustrandç, ac roborandæ auctorē Diuinum Hippocratē habemus, qui 2. aphor. sect. tex. vlt. inquit, quòd magnitudo corporis iuuentç quidem neq; indecens est, neq; illiberalis; senectæ verò inutilis, & deterior paruitate. Si itaq; vterq; excessus reprehenditur ab Hippocrate, magnitudo quidem immodica in senectute, paruitas nimia in iuuentute: Ergo sola mediocris magnitudo congrua, & irreprehensibilis erit. Insuper nimia corporis vastitas, prçter id, quòd contemplationi, & Musis nimis incommoda esset, quia sic homo in alimētis copiosioribus sibi comparandis, & assumendis plurimam temporis iacturam faceret; & à contemplatione distraheretur; esset quoq; otiosa, quia ad animalia domanda ratio ipsa & prudentia satis superq; sufficiens est. Vnde, vt habemus apud Sapiētem, Melior est homo prudens, quam fortis; & Homerus non Achillem, sed Vlyssem Troianæ vrbis expugnatorem vocat. Sed alias huius determinatæ magnitudinis causas in libello nostro de vsu totius core. hum. cap. 6. tradidimus.

Qua

Qua de causa sit Homo mortalis effectus.
Cap. XXV.

CVr autem humanum corpus & secundum se totum, & penes omnes sui partes admirandum, & omnibus numeris absolutissimum, ac perfectissimum, æternum quoq; non fuerit effectum, aut saltem, vt idiotæ dicere solent, ex coelesti corpore, vel auro purissimo, perpetuis fere temporibus duraturo, fabrefactum, Galenus 3. de vsu part. cap. 10. rationem reddere conatur. De bonitate siquidem, sapientia, & virtute admirabili Creatoris verba faciens, cum prius stupidum quendam, vel potius temerarium hominem redarguisset, torpore & otio marcescentem, ac delitiis adeo fractum, vt graue ipsi esset è lecto surgere, reddendorum excrementorum gratia, ac subinde diceret, satius fuisse ita constructum esse hominem, si solum pedem porrigens excrementa per calcaneum siue per pedem excerneret; mox ita scribit: At uerò si de huiusmodi pecudibus plura verba fecero, melioris mẽtis homines meritò mihi fortè succenseant, dicantq; me polluere sacrum sermonem, quem ego Conditoris nostri verũ hymnum compono, existimoq; in eo veram esse pietatem non taurorum hecatombas ei plurimas sacrificari, & casias, aliaq; sexcenta odoramenta, ac vnguenta suffumigari; sed si nouerim ipse primus, deinde & aliis exposuerim, quęnam sit ipsius sapientia, quæ virtus, quę bonitas. Quod enim cultu conueniente exornare omnia, nihilq; suis beneficijs priuatum esse voluerit, id perfectissimæ bonitatis specimem

cimem

cimem esse statuo:& hac quidem ratione eius boni tas hymnis nobis est celebranda. Hoc autem omne inuenisse, quo pacto omnia potissimum adornarentur, summę sapientiæ est. Effecisse autem omnino quæ voluit, virtutis est inuictę, & insuperabilis. Ne igitur mireris Solem, Lunam, & vniuersam aliorum astrorum seriem summo artificio dispositam esse, neue te attonitum magnitudo eorum vel pulchritudo, vel motus perpetuus, vel circuitionum certa descriptio reddat adeo, vt si inferiora hæc comparaueris, parua tibi videantur esse, & omni ornatu carere. Etenim sapientiam & Virtutem, & Prouidentiam hic quoq; similem inuenies. Considera mihi materiam, ex qua quodq; factum est, et ne temerè tibi persuadeas, ex sanguine menstruo et spermate immortale animal posse cõflari, aut impatibile, aut semper mobile, aut splendidum, & pulchrum æquè, ac Sol est. Sed ut Phidiæ artem expendis, ita & artem omnium Conditoris perpende. Sed te quidẽ fortassis attonitum reddet Iouis Olympici ornatus undiq; mirabilis, ebur lucidum, aurum multum, magnitudo totius statuæ. Porrò si ex luto eiusmodi videris, contemptim fortasse prætereris. At non ita certè quisquis est artifex, artisq; in operibus dignoscendi peritus, sed laudat Phidiam pariter, siue lignum vile, siue lapidem quemcunq;, siue ceram, siue lutum viderit similiter ab illo ornatum. Attonitum enim facit idiotam quidem materiæ, artificem autem artificij pulchritudo. Age iam et tu naturę peritus sis, vt te non idiotam, sed physicum nominemus. Relinque materiarum differentiam, et ipsam artem nudam conspice. Cum oculi constructionem

nem consideras, organum visorium mente complectere, cùm verò pedem, instrumentum ambulatorium. Quod si ex Solari substantia oculos habere censes, & aurum syncerum in pedibus, non ossa & & cutim, materiæ, ex qua constant, oblitus es. Memor igitur eius, considera, vtrum lumen cæleste est, an terrenus limus. Permittes enim me ita vocare matris sanguinem, qui in matricem influit. Vt igitur Phidiæ si dederis lutum, nunquam repetieris eburneam statuam: ad eundem modum, sanguinē vbi dederis, nunquam receperis vel Solem, vel Lunam, vel splēdidum eiusmodi & pulchrum corpus. Diuina enim sunt illa, & cœlestia; nos autem sumus terreæ statuæ: Opificis tamens ars in vtroque æqualis. Hæc Galenus. Quę quidem etiamsi pulcherrima, perpetuaq; memoria digna sint, ceu illa, quę tria illa admirabilia Sanctissimæ & indiuiduæ Trinitatis attributa nobis patefaciunt; nihilominus ad probabilitatem vsq; progrediuntur, neque omnino demonstrant, cur homo penes corpoream molem ex semine & menstruo sanguine alioquin conflatus, à tanto Opifice æternus non fuerit creatus. Cum enim hoc in loco fateatur in nostri conditore perfectissimam esse bonitatem, summam sapientiā, & inuictam insuperabilemq; virtutem; & in postremo capite libri de format. fœtus in vtero, bis repetat, fabricam nostri corporis summam Opificis & sapientiam & potentiam præ se ferre, possumus rationabiliter existimare, ipsum nedum Sapientissimum, & Optimum, verum etiam Omnipotentem esse. Si enim talis non esset, eius virtus inuicta, & insuperabilis non es-

 set.

ſet. Quod ſi omnipotens eſt ; ergo omnia facere poteſt, quæ non implicant contradictionem. Quod ſi facere poſſet & non vellet, aut non ſciret id præſtare, proculdubio neque eius bonitas, neque eius ſapientia perfectiſſima ac ſumma eſſet. Quod ſi potentiæ ęqualem tum ſcientiam, tum bonitatem obtinet, procul omni dubio nullam implicat contradictionem, nec aliqua ex parte ei repugnat, vt ex corporeo principio, & ex ſemine, ſanguineq; menſtruo, corpus formet æternum perpetuóq; duraturum, quemadmodum & cœlum ipſum corporeum eſt, ex omnium ſententia, & nihilominus ab Ariſtot. & alĳs compluribus inalterabile, & æternum ſtatuitur. Imò & idemmet Galenus in ſuperiori deſcripta auctoritate cœleſtia corpora diuina, & ſubinde incorruptibilia nominauit. Quare ne ſummam Sapientiam, Bonitatem, atq; Virtutem vel in re minima offendamus, melius eſt ſtatuere (ita etiã atteſtante ſacro eloquio) Deum Optimum ipſum hominem à principio ita efformaſſe & ſibi eam curam, taleq; alimenti genus adhibuiſſe, vt etiam ſi ex quodam limo (vt Galeni verbis vtar) aut etiã ex ſanguine compactus & efformatus extitiſſet, poſſet nihilominus immortalis euadere, &, etiam in hoc, ſuo Conditori, ad cuius imaginem creatus erat, aſsimilari. Qua quidem cura & alimenti genere, propter primi parentis tranſgreſsionem, à Deo Opt. Max. iure ſubtracto, non ipſius Conditoris, ſed ſua ipſius culpa mortalis euaſit. Quod ſi Galenus cognouiſſet, quot hymnis, quantisq; laudibus noſtri Opificis ſummam Virtutem, Bonitatem, ac Sapientiam decantaſſet, vnusquisq; noſtrum imagi-

nari

nari facilè poteſt. Pariter, ſi hominis formam, rationalem nimirum animam, æternam eſſe, quemadmodum de ea ſæpiùs dubitauit, certò ſciuiſſet, vtiq; & ipſum corpus ab eadem forma incorruptibili perpetuò absque corruptione ſeruari potuiſſe exiſtimaſſet. Sed ad rem. Volens igitur rationem reddere Galenus, cur homo à corruptione non ſit immunis, inquit, ex limo terreſtri, & ex ſanguine menſtruo animal incorruptibile non potuiſſe formari, quia ſicuti, ſi alicui architecto alioquin peritiſsimo lutum, vel figulinam materiam dederimus, non poſſumus ab eo, niſi lutulentam, aut figulinā ſtatuam repetere: ita ſanguinem vbi dederimus Conditori noſtro, vel Solem, vel ſplendidū & pulchrum corpus non valemus recipere. Sed quid ſi ei dederimus cœleſte corpus? aut quid ſi aurum puriſsimum? Arbitror Galenum iſtis hominibus, iure optimo pecudibus ab eo vocatis, reſponſum exhibere recuſaſſe: Sed ſolum dixit, cœleſtia illa corpora eſſe diuina. & cum peculiarem materiam ex qua conſtant, prorſus ignoremus, ex conſequenti, cur ex ea non potuerit homo formari, ignorare neceſſe eſt. Poſſumus tamen & huiuſce rei rationē curioſis hominibus facillimè reddere. Nam præter id, quod poſſumus opinari, ex cœleſti corpore, ceu nimis raro, & ſolum ad circularem motum obnoxio humanum corpus, quod duriſsimis, & denſiſſimis partibus, ad actionum ſcilicet robur, indigebat, & ſingulis motuum differentijs præditum eſſe debebat, creari fuiſſe impoſsibile: Implicat inſuper contradictionem, vt ex corpore homogeneo, quale cœleſte corpus eſt, fiat corpus heterogeneum, qua-

le corpus eſt humanum. Quod quidem cùm & ad cognitionem & ad actionem ſit à ſummo Opifice deſtinatum, pro diuerſarum,& tot rerum cognitione,& tot motionum generibus obeundis, tot organorum generibus ex diuerſæ naturæ partibus conflatis indigebat. Et ſubinde non niſi ex quatuor elementorum corruptibilium naturis effingi poterat. Dicet rurſus idiota: Debebat ſaltem ex auro illud componere, quod licet & ipſum tandem corrumpatur; tamen inter omnia mixta corruptioni maximè reſiſtit; & inſuper ex quatuor elementis conflatur, &, quod magis eſt, temperatiſſimum eſt, ſi ad hominem temperatum conferatur, & humanæ naturæ adeo amicum, vt ob id ab omnibus Medicis pro cordiali medicamine ſit vſurpatum. Ex dictis patet, quam ineptum ſit tale quęſitum. Nonne & aurum ipſum corpus eſt homogeneum, & vnius ſimplicioris naturæ? Sed inſuper aereus ille, & innatus, ac influens calor, qui copioſiſſimus ad tot actionum genera in homine perneceſſarius eſt, quomodo in auro adeo denſo recipi poterit? Quãob rationem forſitan plures Chymiſtæ & Sublimatores reperti fuere, qui aurum ad extremam tenuitatem,& raritatem redigere conati ſunt,& ob id potabile vocant, cuius hauſtu iſti miſeri putant hominem immortalem reddi poſſe. Ipſos miſeros voco, quia, vt longa admodum experientia didici, abſq; vllo fructu & tempus ipſum, & pecuniam,& cerebrum,& vitam quoq; aſſiduis ſublimationibus abſumunt. Sed iſtis omiſſis, congruum magis eſt, vt ad ea, quæ vtiliora ſunt, pergamus.

Cur

Cur homo vitam adeo breuem fuerit sortitus. Caput XXVI.

CVM autem declaratum sit, quibus de causis homo penes partem corpoream non sit corruptionis expers, remanet, vt diligentius inquiramus, cur tam citò corrumpatur, & vitam adeo breuem sit consequutus, vt iure merito ipsius miseriam commemorans Vates ille Regius de eo cecinerit: Homo vanitati similis factus est; dies eius sicut vmbra prętereunt. Quibus verbis (si quis ea accuratè perpendat) certè non poterat in tam sublimi creatura vilius & breuius vitæ curriculum innuere. Sed vt etiam in hoc non minus eluceat summa ipsius Opificis Bonitas, Sapientia, atque Virtus, debemus altiùs sermonem exordiri, & tum ad iam propositas, tum ad alias finales causas confugere, quia sic adinueniemus hominis conditorem ex parte sui in nulla prorsus re defecisse. Monstratum iam à nobis est, hominem ipsum & contemplatiuum potissimum, & actiuum animal, ad Deique similitudinē fuisse productum; & insuper cūctorum animalium imperium habuisse; & subinde nedum rationem ipsam tanquam artem ante artes, verum etiam manus exporrectas, admirabili artificio compositas, tanquam organum ante organa adeptum esse. Sed insuper ad differentiam brutorum, solus celsam & erectam obtinuit figuram, vt huius merito tum perpetuò cœlum ipsum tanquam proprium locum ac finem, in quem a Deo Optimo destinatus est, faciliùs inspiceret; tum corpus vniuersum ad omnes

actionum

actionum & motuum differentias faciliùs, ac meliùs accommodaret. Vt enim in libro de Vſu totius corporis humani cap.7. demonſtrauimus, figuræ rectitudo principaliter ad bipeditatem, bipeditas verò ad meliorem motionem, & perfectiorem inceſsũ, motumq; progreſsiuum dirigitur. Amplius, recta hęc figura ad meliorem apprehenſionem mirificè conducit, quia huius munere homo ad omnes artes, & omnes manuum operationes, ſiue deambulãdo, ſiue quieſcendo, ſiue ſtando, ſiue ſedendo exerceantur, maximè diſpoſitus & idoneus euadit. Ideo Gal. 1. de Vſ. part. cap. 2. dicebat, hominem animal alioquin manſuetum atq; politicum non minus ad bellum, quam ad pacem idoneum eſſe: & hoc eſt potiſsimum de cauſa, quia omnis generis motionibus, cum ſit erectus, ſiue antrorſum, ſiue retrorſum, ſiue ad latera, ſiue etiam in gyrum, commodè dimouetur. Quibus ſic poſitis, ad peculiarem ipſius vitę curſum per ſuam finalem cauſam demonſtrandum iam accedamus. De hoc autem Hippoc. loquens in principio ſuorum aphoriſmorum, ipſum abſolutè breuem eſſe affirmat, vel potius talem eſſe dicit in relatione ad artem Medicam ſui natura prolixam. Sed doctrina vtens aphoriſtica nullam huius breuitatis cauſam aſſignauit. Plato verò in Timęo hominis vitam breuem appellat: ſed cum in relatione vel ad plantas, vel ad animalia, quæ homine prolixiorem vitam habent, ita vocari poſsit, quia breuis, & longa ex eorum entium ſunt genere, quæ ad aliquid dicuntur, ad quam vitam referenda ſit humanæ vitæ breuitas, hoc Plato non explicat; ſed tantummodo huius breuitatis cauſam quandam aſ

ſignare

ſignare videtur, ita ſcribens: Cæterum, ait, cum illi Fabricatores noſtri de humano genere conſultarent, vtrum diuturnius, ſed deterius, an breuioris vitæ, ſed melioris ipſum efficerent; breuem melioremq; vitam diuturnæ ac deteriori eſſe omnino anteponendam cenſuerunt. In horum autem verborum explanatione Galenus nil prorſus dixit, quod ad rem faciat: idq; forſitan, quia horum verborũ ſententia adeo clara eſt, vt nulla indigeat expoſitione. Accipit autem Fabricatores in plurali numero, & addit, conſultarent, certiſsimè nobis oſtendens hoc loquendi modo, ſe Moyſis diuinam hiſtoriam diligenter perlegiſſe: In qua poſt reliquarum omnium creaturarum productionem, dum Summus Opifex ad hominem ipſum, tanquam admirabiliſsimum rerum omnium compendium, ac veluti breuem epilogum ſe confert, inquit tũc, Faciamus, in plurali numero, vt nobis innueret, Trium Diuinarum Perſonarum quaſi maturo cõſilio hominem fuiſſe creatum. Cauſa verò breuitatis humanę vitę, quam Plato apertiſsimè ponit, eſt eiuſdem vitę hominis maior perfectio, ſiue bonitas: quam potiſſimum merito rationis & ipſius contemplationis adipiſcitur: ad differentiam nedum ſtirpium, ſed etiam ceterorum animalium ratione carẽtium, quæ ſolum nutrientem, ac ſentientem vitam agunt, ſed hominis vita diuturniorem. Adeo vt videatur Plato exiſtimaſſe, Deum Opt. non potuiſſe hominis vitam ſimul & meliorem & diuturniorem reddere; ſed quia ei perfectam cognitionem, & ratiocinatricem facultatem contulit, coactus fuerit breuioris vitę ipſum efficere. Verum hęc Platonis conſequentia,

tia, vt superiùs diximus, & vt infrà clarius apparebit, nullam prorsus necessitatem, imò forsitan nec probabilitatem includit. Videmus enim nedum plurima plantarum genera breuiorem homine vitam habere, verum etiam pleraque animalia; inter quæ multa reperiuntur, quę quanto viliora sunt, tanto minus viuunt, vt in stirpanimalibus, crustatis siue conchilibus, & reptilibus inducere vnusquisque potest. Quid igitur prohibet, vt etiam quo perfectiora sunt, & meliorem vitam habent, eò diuturniorem nanciscantur, cum potissimum natura semper eligat id, quod melius est, & quod perfectius est semper cautiùs custodiat? Sed insuper nulla ab eo ponitur causa, quæ cogat nostrum Conditorem humanam vitam adeo breuem reddere. Ideo operæ pretium est, ipsam ex iactis superius fundamentis elicere & omnibus patefacere. Ostensum igitur demonstratumq; est, vitæ principium, auctorem, & seruatorem esse innatum, aereumque, & humidum calorem, sicuti è conuerso igneum & siccum eiusdẽ vitæ destructorem, & euersorem esse. Neq; minus probatum est in hominis efformatione vtrumq; calorem esse necessarium. Nam omnium functionum Opifex præcipuus, excepta ratiocinandi actione, est calor innatus, & humidus: ignei verò, ac squallidi caloris vsus, atq; necessitas vna atq; pręcipua erat, vt is in nostri ortus initijs inditus & humidioribus elementis admistus esset in causa, vt ossa nerui, ac reliquæ solidę partes motui dicatæ, tractu temporis probè ac congruè siccescerent, & ad validiorem motum idoneę fierent. Primum igitur nostri Opificis consilium in eo positum fuit, vt in nostrę generationis

nis primordijs atq; corporibus vberrimum & copiosissimum vitalem, siue innatum, & humidum calorem insereret, qualem in homine & pro tot, ac tantis edendis functionibus, & pro vitæ maiori diuturnitate, esse decebat. Qui cum in sanguine (vt superius ex Galeni auctoritate diximus) & sanguineis visceribus pro maiori parte subsistat, humanum corpus sanguine adeo exuberat, vt nullum animal sanguineum, seruata penes corporis magnitudinē proportione, & paritate, homine ipso maiori sanguinis copia affluat. Neq; etiam vllum reperitur animal, quod homine ipso sit actu calidius. Hoc igitur fuit in homine diuturnioris; imò longissimi æui præcipuum & validissimum fundamentum. Quo quidem potuit facillimè reliqua omnia mixta, in quibus vitæ principium reperitur, eiusdem vitæ diuturnitate superare. Sed conditor nostri ignei ac sicci caloris insertione, & ingeniti natiuiq; caloris copiā imminuere, ac iugiter absumere, & subinde tantam hominis æui prolixitatem intercidere fuit coactus. Igneus enim calor duplici modo, vt primo de tuen. sanit. Gal. docet, natiuum calorem exhaurit, ac dissipat; nimirum & siccitate absumendo, & caliditate euaporare faciendo. cum enim corpora nostra, vt natiui caloris amplius receptaculum euaderent, valde humida, ac mollia sint, ratione intensioris, & ignei caloris in humidum agentis semper euaporant, & in continuo fluore sunt posita. Dicet aliquis: Nonne melius erat, vt homo solum contemplatiuum animal efficeretur? Id enim satis ipsi fuisset ad suum Opificem cognoscendum, & tandem fruendum, & suum optatum finem, perpetuamque

vitam consequendam : nam tunc Summus Opifex non fuisset coactus tantam ignis portionem in nostris corporibus indere, vt ex eo tanta pernicies, & tam citò succederet. Contemplationi siquidem nõ motus, sed quies maximopere conducit. nam, vt inquit Aristot. 7. phys. tex. 20. quiescendo animus fit prudens. Hoc quæsitum, sanè, primo aspectu pulchrum videtur : sed tamen, si ab homine actionem tollas, cuius merito se ipsum alit, sui speciem propagatione conseruat, animalibus imperat, cũcta, quæ apud nos sunt, sibi supponit, alijs hominibus opitulatur, egregias atq; sublimes operationes promit, sui Conditoris gratiam adipiscitur, ei magis assimilatur, & vsq; ad sydera sese extollit, nedum media, per quæ in propositum sibi finem peruenit, deles & aufers; verum etiam pro dimidio fere eius maximã perfectionem destruis. Sed insuper vnum aliud tandem addo non minori animaduersione dignum, quod non solum ad actionum, & solidarum partiũ, quibus actiones fiunt, robur, ignis in nostris corporibus insertio erat necessaria, verum etiam pro eadẽ contemplatione, & alijs causis ac finibus minimè contemnendis, vt nunc probabo. Superius, si rectè meministi, Prudentissime Octaui, ex Galeni, Aristotelis, & Platonis, imò aliorum veterum auctoritate ostensum est, siccitatem ad mentis aciem exacuendam maximopere conferre, & pernecessariam esse : nam corpora quanto humidiora, tanto stolidiora; quanto licciora, tanto prudentiora. Vnde dicebat Heraclitus, Splendor siccus anima sapientissima. Nam Plato (inquit Gal. lib. quòd animi mores, &c. cap. 4.) vult animã ab humiditate corporea in obli-

uionem

uionem duci eorum, quę prius, quam in corpore esset inclusa, cognouisset. Loquitur enim his fere verbis in Timęo, in illo loco, vbi ait, Deos fabricasse homines, cum immortalem animam in corpus influens, atq; effluens indidissent. Quo quidem in loco perspicuum est, substantię infantium humiditatem innui. Et mox ait: Horum ergo affectuum causa ab initio cum anima corporis mortalis vinculis includitur, amens fit, cum verò incrementi, alimentiq; riuus parcius fluit, ac circuitus tranquilliore motu iter suum conficiunt, progressuq; temporis sedatiores fiunt, tum in figuram naturæ suæ congruam restituuntur, & singulorum circulorum directæ conuersiones, eiusdem & alterius naturam rectè discernunt, hominemq; ita institutum, prudentem reddunt. Cum enim ait: Cum vero incrementi alimentiq; riuus parciùs fluit, significat humiditatem, quam prius esse dementię animę causam affirmauit: perinde ac siccitas ad prudentiam, humiditas ad dementiam animam perducat. Sed si humiditas dementiam, siccitas prudentiam parit, certè summa siccitas summam prudentiam gignet; mista humiditati tantum perfectæ prudentię detrahet, quantum humiditatis assumpserit, & cap. 7. eiusd. lib. idem ex Arist. decretis in 2. lib. de part. animal. conscriptis, nobis declarat, dum inquit, quod apes, & aliæ pleræq; huiuscemodi animantes sunt multis sanguine præditis animantibus natura prudentiores. Insuper videmus, quod quanto magis homines senescunt, tanto prudentiores, & ad contemplationem aptiores fiunt: Nil autem est senectus, præterquam siccitas temperamenti, vt Galenus &

in lib. de Marasmo, & in 2. lib. de Temper. docuit. Adhæc, alium vsum igneus calor in nostris corporibus inditus præstare valet, quemadmodum Gal. in 1. lib. de tuen. valet. cap. 2. scriptum reliquit. Cũ enim sui natura ad motum paratissimus sit ignis, & eius calor insignem mouendi vim habeat, quia ex omnium Philosophorum consensu maximè actiuus est ignis; ideo ad præstandam agilitatem motionibus, quæ in homine eduntur, mirum in modũ conducit. Quamobrem nullum reperitur animal, quod penes omnes partes motui destinatas, aut velociùs, aut artificiosiùs, aut elegantiùs, vel maiori cum agilitate moueatur. Postremò, si verum est illud, quod scribit Aristot. & alijs in locis, & tertio de partibus animal. cap. 6. nimirum, hominem cellsam, & rectam figuram fuisse consequutum, eò quia plurimũ caloris in corde & thorace habuit, nulli dubium, quod etiamsi aereus natiuusq; calor huic figuræ rectitudini vsum aliquem præstare valeat; nihilominus igneus longè maiorem opem ferre potest, cum sit ille potissimum, qui in corde & thorace, ac præcordijs potissimum viget, & sui natura maiori cum impetu sursum feratur. Sic enim loco citato scribit Aristoteles: Calor enim (inquiens) est quod vim obtinet agendi; sanguinis autem copia caloris indicium est. corpora enim melius erigit. quamobrem homo cæteris erectior omnibus est. Ex quibus rationibus clarè constat, cur in homine effingendo Summus Opifex plurimum ignis in eius primordijs indiderit, ac subinde eius vitæ prolixitas non parum abbreuiata fuerit.

De Na-

De naturali omnium viuentium æuo: de humana vitæ cursu in relatione ad cæterorum viuentium durationem; & de summa Naturæ, nostriq; Conditoris Iustitia. Cap. XXVII.

SED quibus de causis homo, si ad reliqua, in quibus est vitę spiritus, conferatur, breuiorem vitæ cursum habuisse videatur, adhuc non ita clarè nobis constat. Ideo rationabile est, vt hoc etiam breuibus, quantum fieri potest, aperiamus; & vnà summam Opificis Iustitiam comprobemus. Priusquã verò de viuentium æuo aliquid dicamus, scire expedit, nos de illà vitæ periodo loqui, quæ cunctis viuentibus merito suorum principiorum naturalium statuta, ac tributa fuit. Et hoc ad differentiam illarum causarum, quæ violentę potius, ac præter naturam cum sint, vitæ curriculum in viuentibus sæpissimè interrumpunt. Is igitur in viuentibus vitæ cursus, siue præscriptum ac definitum æuum naturale, siue naturæ legibus consentaneum dici poterit, quod, vti Galen. nos admonet 1. de Tuend. val. cap. 2. euitari nullo modo potest, & ab ipso solum igneo calore in eorum seminibus, siue corporũ initijs inserto, calidum & vitalem humorem sensim dissoluente, depascente, & diripente viuentibus prę scribitur ac proficiscitur, quemadmodum ex superius comprobatis colligere vnusquisque poterit. Vnde licet mors quoque naturalis verè dici non possit, quia à natura, quæ semper bonum appetit, nunquam intenditur; tamen cum non sit pręter naturæ leges, quilibet prout vult, naturalem quoq; voca-

re

re poterit, ad differentiam illius, quæ ab illis caufis originem ducit, quę euitari poſſunt. De hac igitur vitæ periodo, quæ viuentibus à natura fuit præſcripta, nunc agere intendimus, etiamſi ſermonis affinitate de alijs quoque cauſis, quæ naturale hoc æuum abbreuiant, loquuturi ſimus. Priusquam igitur rem huiuſcemodi particulatim pertractemus, illud in primis vniuerſaliter de viuentium æuo præſciendum, quod ſi vita ex Ariſt. manſio ſiue participatio eſt natiui caloris in corpore; diuturnitas vitæ illud potiſſimum exigit, vt viuentis corpus huius natiui caloris, & vitalis humoris copiam in ſe contineat, quæ facilè diſcuti, exhauriri, & exiccari nō poſſit. Vt enim ex Ariſt. ſententia 4. Meteor. Auerroes rectè docet, cauſa longitudinis vitæ in vniuerſali eſt dominium qualitatum actiuarum ſupra paſſiuas, quod non in gradu, ſed in virtute continendi intelligi debet. Donec enim calor terminat, ac cōtinet humidum, vita perdurat; quando humidum diffluit, & exundat, nec amplius coercetur, fit viuentis corruptio: Et quanto maius eſt dominium, cò longior eſt vita. Secundò vitæ diuturnitas nedum perfectam partium conformationem, verum etiam multò magis earum, ac præſertim cordis, vel illius partis, quæ ei proportione reſpondet, proportionatum temperamentum requirit: Exempli cauſa, ſi viuens habeat reliquas corporis partes ita calidas, vt earum calor cordis proportionē ſuperet, vel ſint ita frigidę, vt cordis proportioni non correſpondeat, vitę diuturnitas ſubſequi non poteſt. Tertia diuturnitatis vitæ cauſa, quæ ex toties repetitis colligitur, eſt propotrio humidi vitalis, quem etiam radicalem

vocant,

vocant, cum calore nedum aereo,& naturali, verũ etiam igneo & ſicco. Vnde ex parte humidi duo requiruntur, nimirum copia ſiue quantitas, & qualitas. Quantitas, vt diutiùs exiccationi obſtare poſſit, & vegetiorem copioſioremq; calorem in ſe continere: Qualitas, vt ſit aereum, & vnctuoſum: aereum, ne congeletur,& ſubinde calorem obruat, & extinguat: vnctuoſum, & tenacius, vt ægriùs ab igneo,& interno calore diſſoluatur, & abſumatur, & ab extrinſeco ambiente calore difficilius euocetur, & inaniatur. Calor autem aereus, natiuusq; debet eſſe multus, ne facilè extinguatur, & corrumpatur: Debet eſſe proportionatus humido, ne paucus ab eo obruatur. Igneus autem calor debet eſſe, quantum fieri licet, exiguus, ne humidum citius depaſcat, exiccet & inaniat, & euaporare faciat. His autem cauſis externas obiter addere nobis licet: Inter quas Ariſt. 4. de Gener.animal.cap.vlt. cœlum proponit, inquiens, ſyderum aſpectus ad vitæ diuturnitatem plurimum poſſe conferre. Ita aer ambiens debet eſſe calidus,& humidus, non tamen immodicè, ne putredinem excitet, ſed adeo cõmenſuratè, vt animalis temperamento correſpondeat. Quod autem vſus Veneris immoderatus vitam abbreuiet,docuit nos Ariſt. 1.de gener.anim. Eſt enim ſemen,quod coitu eijcitur,excrementũ vtile, & vltimi alimenti, quod in partium alimentum proximè conuerti debet, quia ſolidæ partes ſemine nutriũtur. & inſuper vnà cum ſemine plurimum caloris emittitur, & euaporat,in quo vita conſiſtit. Quamobrẽ inquit Ariſt, Mulum eſſe longioris vitę,quam Aſinum. Paſſeres item ob eandem cauſam duobus vel

tribus annis viuunt,& inter tales aues, ob eandem causam,mares sunt breuioris vitæ, quam fœminæ, quæ tantam seminis copiam non effundunt. Labor quoq; nimius,& exercitatio corporis immodica humidum desiccat, breuioremq; vitam reddit. Quanti autem sit momenti cibi,& alimenti quantitas, & qualitas, nec nō tempus, ordo,& apparatus,& alia id genus ad victus rationem attinentia,ad vitā diutiùs protelandam, vel abbreuiandam, non est hic dicendi locus, cum & libri Galeni de tuend. valet. & de caus. morb. & de medendi methodo; & alij quàmplurimi huc essent nimis imprudenter transferendi. Quibus breuiter prælibatis, ad particulares viuentium differentias descendo,& quęnā sint longioris, quæue breuioris vitę,declaro. Si quis quærat, quęnam inter viuentia sint vitę longioris,dicendum ex Aristotele, Plantarum genus Animalibus esse viuacius; quod etiam multis capitibus Theophrastus in libris de Plantis persequitur. Ideo plantæ à toto genere sunt diuturnioris vitæ. Nam planta quædam, vt ait Arist. & Plinius, vsq; ad quingentos annos perdurauit. Et si fidem Gręcis adhibere velimus,olus illud, quod in arce Mineruæ Athenis conseruabatur, innumeris penè annis virens fuit seruatum. Huius autem diuturnioris vitæ causam esse inquit Arist.eò,quia plantæ sępe reiuuenescunt,& refrondescunt, manente stipite: In animalibus verò non ita. Alia insuper ratio est, quia in plantis humor aereus & tenax abundat. Et hoc patet,quia semper in terra, & aqua defixæ manent: Adhæc cortice duro & denso quasi pelle fuere contectæ, quo ab externis, ambientisq; iniurijs proteguntur.

guntur. Quæ quidem rationes etiam si satis probabiles sint, mihi tamen veriora vitæ diuturnioris principia superius demonstrata non videntur attingere. Quapropter principijs superiùs propositis in memoriam reuocatis, plantas in tres ordines mihi liceat distinguere, videlicet, in Arbores, Arbusta, siue Frutices, & Herbas, siue Olera. Arbores autē, vt docet experientia, diutiùs viuunt; breuiùs frutices, siue arbusta (semper autem renouationem, quæ fit dum pullulant à radice matris, excipimus) breuissimæ vitæ sunt herbę, etiamsi vnà cum suis radicibus capiantur. Huius diuersitatis causa, vt ego arbitror, ex maiori, vel minori plantarum duritie proficiscitur. Nam omnes in relatione ad animalia, si cum suis radicibus spectentur, duriores quidē sunt, etiam si magis, vel minus sint duræ. Cum.n. motu locali, & progressiuo essent plantæ destitutæ, & in vno loco defixæ manere debuissent, quia pro alimenti penu semper paratam habent terram; ideo in earū seminibus, siue naturę primordijs non fuit necesse plurimum ignis indere, sed potius sicci terrei. Ex hoc autem terreo principio in eis dominante & exuberante, duritiem corporis consequuntur: ex hac verò duritie id habent, vt earum natiuus aereusque calor & humidum vitale in eorum corporibus inclusum, ratione ignei internique caloris, qui paucus in ijs est, & extrinseci ambientis caloris, parum admodum euaporet. Vt enim toties Galenus repetit, corpora quò magis mollia sunt, eò magis euaporant. nam aqua sui natura humidissima, & mollissima ad ignem apposita, vniuersim exhalat, & euaporat. Quanto duriora exi-

ſtunt, tanto minori corporis & humidi fluori ſunt obnoxia. Quinimò ſi arbores ſpeciatim examinemus, huius veritatis maiorem comprobationem eliciemus. Quanto enim proceriores & duriores, ac denſiores ſunt, & grandiores mittunt radices, tanto longioris ſunt vitæ, vt in palma, nuce, quercu, robore, ilice, tilia, ac ſimilibus arboribus videre eſt: quę vsq; ad ducenteſimum, & trecenteſimum interdum annum vitam protelant: contra ficulnea, perſicus, prunus, & his conſimiles, ac præſertim quæ citiùs creſcunt arbores, & teneriores ſunt, breuioris ſunt vitæ: quia maior in illis proprij natiui caloris & humidi vitalis ab interno, & igneo, & ab extrinſeco calore fit abſumptio, digeſtio, & euaporatio: Imò & ab externo frigore fit maior in eis natiui caloris extinctio. Quæ autem in medio iſtarum quodammodo poſitę ſunt arbores, vt pyrus, malus, ceraſus, ac conſimiles mediocrem vitę curſum in relatione ad alias ſortiri conſueuerunt. Nam veriſſima etiam eſt illa regula inter plantas, quod quę tardę creſcunt, multo durant æuo; quę cito creſcunt, citò pereunt. Sed incrementum uon niſi propter earum duritiem prolongatur; ſicuti ab ipſarum molitie acceleratur. Durities verò propter terrei elementi exuperantiã ſuboritur. Cuius cauſa fit, vt plantæ ex terra potiſſimum, tanquam ſibi ſimili alimento alantur. Animalia verò ex ijs, quæ viuunt, non autem ex terra, & alijs, quæ vita carent, nutriuntur. Adhæc, plantę longiorem vitam nactæ ſunt, quia in motu voluntario & ſenſationibus calorem & ſpiritum non abſumunt, & ſubinde ſomno non egent, ſed ſemper in actu ſecundo, & nutriendi actu poſitæ ſunt: quia,

vt ait Auerr. in expos. 2. de Anima, possunt semper operari, quia in operatione non defatigantur, nec seipsas destruunt, sed potius semper vegetatione seipsas, ac vires proprias, calidumq; natiuum resarciunt. De animalibus autem loquendo affert hanc distinctionem Philosophus: Terrestria sunt Aquaticis viuaciora: illorum enim humor est aereus; istorum autem quamuis sit multus, est tamen aqueus, ac frigidus cum sit, facilè congelatur, & insitum natiuum calorem obruit & extinguit. Inter terrestria Sanguinea sunt viuaciora Exanguibus: quia sanguis calidus est & humidus: in his autem qualitatibus vita consistit. Sed possumus addere sanguinea esse illa, quę influente calore nuncupato, à corde manante, prædita sunt: qui calor influens in relatione ad insitum, quem etiam complantatū vocant, quia in solidis partibus, siue in earum substantificis humiditatibus subsistit, vberrimus existit. Quod si aliqua exanguia reperiantur, quæ viuaciora, & diuturnioris sint vitæ, id coutingit vel quia quo ad molem maiora sunt, & grandiora, & multum humidi tenacis, ęgrèq; dissolubilis habent, atque dura pelle fuere contecta; vel quia dulcioribus, & ad vitam magis aptis alimentis nutriūtur, quales sunt Apes, quę melle sustinentur. De animalibus autem perfectis, si ad experientiam, rationem, & Philosophi auctoritatem respiciamus, non parua existit controuersia. Nam inter animalia perfecta viuacissimū, quod memoria scitur, est Elephas. Viuit enim trecentis annis. Post elephantem recensetur Homo, secundum Aristotelem. Ipse enim in 4. de Gener. anim.cap.x. inquit, hominem omnium animalium

esse vitæ longissimæ, excepto elephante. Alij magni nominis scriptores aiunt Aquilas, Vultures, Cornices, Ceruos, esse diuturnioris vitæ, quam Homo. Aristoteles tamen contrarium voluisse videtur, & statuisse hominem ipsum vitæ diuturnitate reliqua omnia animalia superare. Et eius ratio validissima est: Quoniam temperamentum hominis est aeri ambienti quàm simillimum, qui calidus, & humidus est. Sed res quò similiores sunt locanti, eò diutiùs conseruantur. Sed aliam rationem non minus efficacem addere possumus. Sæpissimè cũ Gal. à nobis dictum, demonstratumq; est, hominis temperamentum, in vniuersa rerum natura, eucraton & perfectissimum esse. Ergo tale temperamentum reliquis diuturniorem vitam afferre debet, quia ab omnibus excessibus, & causis externis vitalem calorem, & humorem corrumpentibus æquè, ac plurimùm, distat: Et cũ corruptio idcirco fiat, quia vnũ elementum alia multum excedit, & superat, huiusce modi incommodum multum abest ab eucrata temperatura. Quæ ob id etiam citiùs ac faciliùs, quam reliquæ temperationes restauratur. Et in hac optima temperatura elementa sunt ita ad mediocritatẽ redacta, & adeo inuicem refracta, vt vix, aut solum longissimo temporis tractu vnum possit aliud superare, & mixtionem corrumpere. Nec est, vt quis obijciat, calidum & humidum temperamentum viuacius esse debere, eò quia vita in calido, & humido sita est. Non enim in quocunq; calido, & humido vita consistit; sed solum in calido naturali & attemperato, & humido aereo, & radicali, perfectoq; & vnctuoso, quod temperatissimum est. Tale autem

humidum

humidum temperatura calida & humida non suppeditat. Quod autem hoc verè dictum sit, clarum est, quoniam, vt testis est Aristoteles, sanguinei ante senectutem canescunt. Canities autem ex imbecillitate caloris naturalis prouenit. His rationibus possumus & aliam adhuc efficaciorē subnectere. Si enim verissimè ostensum est, propter plurimas finales causas,& vsus insigniores, hominem ipsum cunctis animalibus atq; viuētibus vberrimum natiuum calorem, igneum & siccum latiori interuallo, ac proportione dominantem, adeptum esse; si vita ex talis caloris conseruatione dependet, quanto copiosior erit naturalis calor, tanto diutius perdurabit, & corrumpentibus causis resistere poterit,& se ipsum, ac humidum suum, in quo situs est, efficaciùs & facilius restaurare. Quod eò faciliùs consequi potest homo, cum rationis merito, & omnes corrumpentes causas cognoscere, prouidere, ac præcauere,& congruum sibi alimentum seligere valet. Vnde & propter hanc vnam causam & eminentissimam facultatem, qua cunctis animantibus pręstat,& dominatur, eis longiorem vitam habere debuit. Et tandem, cum ex Aristotelis, & omniū Philosophorum, Medicorum,& Theologorum sententia, Homo sit omnium, quæ sub orbe creata & genita sunt, vltimus, ac perfectissimus finis, in quem omnia elementa, ac mixta tum inanima, tum animata conspirant, ac diriguntur, videtur aut impossibile, aut natura ipsa, quæ semper appetit esse, & ea, quæ perfectiora sunt, semper accuratiùs conseruat, indignum, aut iniquum, hominem ipsum reliquis omnibus viuentibus diuturniori vita non fuisse do-

natum.

natum. Nedum enim reliqua omnia proceriora animalia,& plantæ, verum etiam elephas inter cetera magnitudine, & corporis proceritate vastissimum animal in hominis vsum & commoditatem fuit à natura creatus. Ipsum enim humana ratio & manus apprehendit,domat,instruit,& ad maxima ferenda onera,& maiora tranandà flumina sibi accommodat,& assuefacit, quemadmodum ex Galeni auctoritate in 17.libro de vs. part.cap. 1.quo in loco admirabilem proboscidis vsum declarat, nobis colligere licet. Si itaq;, Prudentissime Amalthee,hæc uera sunt, videtur non iniuria de natura Theophrastum conquestum fuisse, quod videlicet Elephanti,Coruo, &, vt alii tradunt, nonnullis aliis animalibus longiorem uitam, quam hominibus,sit elargita. Nisi velimus dicere, aliis de causis naturæ leges fuisse confractas. Quemadmodũ aliud quoq; in homine obseruamus, quod naturæ institutis atq; præceptis minimè consentaneum videtur. Videmus enim in animæ potentiis subordinatis in brutis quidem inferiorem semper superiori, & præstantiori obtemperare: Sed in homine non sic se habet: quinimò id, quod ei ex usu ad vitæ tutelam sibi esse deberet,in perniciem ac uitæ breuitatem sępiùs impellit. Hoc unum,quæso, animaduerte,& mox tuum de hac re iudicium expecto. Bruta, nisi uiolentum aliquod eorum uitam intercidat, semper ferè eam vitę periodum consequuntur, quæ illis à natura, siue naturę consentaneis principiis, fuit præscripta,&condonata. Homo uel nunquam, aut vix, aut rarissimè ipsam attingit. Scimus profectò id posse brutis contingere, quia pro diuersis ani

ni temporibus, ac coeli ſtatibus, aeriſq; conſtitutionibus, ſolum, regionem, & aerem commutant in melius: quod hominibus non ita conceſſum eſt: Sed longè magis id euenit, quia ratione deſtituta cum ſint, à ſolo naturæ inſtinctu, & animalis appetitus impetu gubernantur; & in primis à nullis animi curis, & affectibus, qui hominem vehementiùs torquent, vexantur, & premuntur. Neq; enim ullo vel parentum, vel amicorum, uel inimicorum, vel ipſius mortis, uel penuriæ alimenti, & conſimilium rerum metu, ac cauſa, aſsiduò vt homò, triſtantur. Sed inſuper eorum plurima non niſi ſtatutis quibuſdam temporibus, & quo tempore ſemen copia turgeſcit, in Venerem aguntur: Homo indiſcriminatim, & nulla ſeruata temporis opportunitate, & ſæpisſimè nulla eum excitante ſeminis copia, ac turgentia, ſed ſolis blanditiis, & illecebris excitatus, & illectus, ſua cum maxima pernicie, in Venerẽ ruit. Vnde impudica illa Octauiani ſoror, & Agrippæ coniunx interrogata, cur bruta non niſi ſtatutis qu buſdam anni temporibus coirent, & poſt factum conceptum à coitu omnino abſtinerent; homines verò, & mulieres non item; elegantisſimè, ſed iniquiſſimè tamen, & in diſtortum ſenſum reſpondit id fieri, qui bruta ratione carent. Et tandem, vt rem hanc expediam, bruta cibum non capiunt, niſi dũ fameſcunt, & appetitu vrgentur, & præter id, quod illud potiſſimum alimentum expetunt, & capiunt, quod ſibi familiarius eſt, illud idem & ſimpliciſſimum vt plurimum, & quantitate opportuniſſima ſibi congruum, ac commenſuratum deuorant. Ab homine quot errores in alimentorum delectu, qualita

te, copia, condimentis, apparatu, ordine,& importunitate committantur, tu longè melius nosti, qui tot annorum spatio Medicinam fecisti, & toties in illos ægrotantes incidisti, qui ob hanc vnam potissimum causam & ægrotarnnt,& perierunt. Nostro enim seculo gula adeo inualuit, vt homines longè magis ventriculi capacitate, quam viribus cibi, potusq; copiam dimetiantur. Et licet ratio ipsis dictet, vt praua fugiant alimenta, nihilominus potius fungos, fructus fugaces,& id genus alia, quę facillimè corrumpuntur,& vt ait Gal. 2. de Alim. facul. ex ea corruptela in succum veneno finitimum vertuntur, quam salubria,& inculpata cibaria, & alimenta deuorant,& ingurgitant. Quare patet, rationis merito hominem potius & deteriorem & breuiorem vitam consecutum fuisse, quàm bruta acceperint. Quocirca, nisi ad altiora, verioraq; principia cōfugiamus, impossibile omnino est, naturam, quam semper Galenus,& Hippocr. iustissimam vocant, ab iniustitia vindicare,& Theophrasti querelas iustissimas non iudicare. Quapropter, sicuti rationem reddere non licet, cur inter animalia sola Mulier in partu acerbissimis, ac vehementissimis doloribus, ac cruciatibus fœtum edat; cum tamen natura longè magis de mulieris, quam brutorum fœminarum salute,& partus facilitate debuisset esse sollicita, Ita & cur appetitus in homine rationem subijciat; & cur ratio ei potius deteriorem vitam afferat; & cur, vno verbo, is adeo breui tempore hac lucis vsura fruatur, scire est impossibile, nisi ad veracissimam Historiam confugiamus, & id, quod superius dictum est, denuò repetamus. Sicut enim primus nostrū

omnium

omnium Parens ante lapsum poterat euadere immortalis, & solum post Diuini pręcepti transgressionem, in vltionem peccati, mortalis factus est; ita cum vidisset Deus O.M. hominem libero arbitrio, quo nil præstantius, aut sublimius esse potest, abutentem, propter illud idem, eius vitam, quæ etiam post Adę lapsum, ad millesimum prope annum pertingebat, fuit abbreuiata, nam filius Enoch, & octauus post Adam, vixit nongentis, sexaginta, nouem annis. Sic enim habemus libro Genes. cap. 6. Dixitq; Deus, Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est; eruntq; dies eius centum viginti annorum. Quod autem propter peccata adeo breuis reddita fuerit hominis vita, ex verbis, quæ paulo post habentur, clariùs patet. Videns autem Deus (inquit historia in eod. capite) quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tēpore, pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra. Quinimò summopere cupiens hominem à sceleribus emendari, priusquam hominis ęuum ad cētesimum & vigesimum annum, sicuti comminatus prius fuerat, redigeret, permisit vniuersale diluuiū, vt humanum genus, quod postea futurum erat, talem, ac tantam videns correptionem, seu punitionem, ab erroribus, & peccatis emendaretur & abstineret. Nam post diluuium vixit Noe nongentis quinquaginta annis, quia fuit iustus. Deinde habemus Heber quadringentis triginta annis vixisse: eius autem filium ducentis & nouem annis. Post quem alius vixit ducentis & septem: & post ipsum alius ducentis. Abraham verò centum septuaginta

quinque vixit annis. Et in summa, clarè perspicimus paulatim à summa Dei clementia & bonitate annos de hominis vita fuisse detractos, prout etiam hominum malitia creuit, & semper in deterius lapsa est. Vnde etiam in hoc nobis conuenit, ac par est, admirabilem & nostri Conditoris bonitatem, & Naturæ ipsius ministræ summam iustitiam admirari. Nam propter vitę breuitatem & innumeri arcentur errores, & homines, nisi vndequaque insipientes, aut mente capti sint, ad vitam hanc adeo breuem, & terrena omnia contemnenda, & æternitatem ipsam, cœlestemq; patriam, vnde lapsi sunt, exoptandam, & consequendam efficaciùs impelluntur. Idq; multò magis scientes, quod etiam humanum corpus, quod nunc corrumpitur, rursus viuũ, perfectum, & incorruptibile sit futurum, & in longè prętantiorem, nobilioremq; formam redigendum & instaurandum.

De Rationalis Animæ immortalitate. Cap. XXVIII

QVibus autem medijs, siue secundis causis ad hominis vitam abbreuiandam Deus Opt. vsus sit, ad nostrum institutum declarare non attinet. Scimus quosdam opinatos fuisse propter aquas diluuij herbarum, segetum, eorumq; seminum, imò & arborum, fruticum, & animalium, quibus homo vescitur, calorem natiuum & aereum hominis vitæ sustentandæ accommodatissimum fuisse magna ex parte refractum, obrutum, & extinctum, ac subinde hęc omnia ad hominis & innati eius caloris nutritionem ineptiora euasisse. Alij putarunt

tarunt propter Solaris luminis tot ecclypsationes tẽporum successione suburras, hanc calamitatem fuisse hominibus communicatam, eò, quia clarissimũ est, mundum hunc inferiorem, à cælestibus illis corporibus, ac lationibus, & potissimum à solis splendore ac lumine caloris ministro, ac deferente gubernari: Et ob id quidam alij dixere à Deo iustissimo, & optimo cœlestes influxus in hæc inferiora sensim fuisse subtractos. Sed cum videam cœterorum viuentium æuum suæ naturæ consentaneum illæsum, & immobile ferè permansisse, & solam hominis vitam quasi ad nihilum recidisse, & propter hãc, & alias rationes, quas breuitatis causa prætermittó, huiuscemodi causas suspectas habeo: Et potius arbitror Deum Opt. Max. qui mortem non fecit, non quidem impulsiuè, & secundis causis ab illo paratis, sed potius permissiuè, & peruersa hominis voluntate mediante, id fuisse consequutum. Hominis si quidem voluntas proculdubio libera est; sed post Adę lapsum appetitus sensitiuus cum ratione pugnat interdumq; pręualet, eiq; dominatur, & sic innumeros homo committit errores in victus ratiõne presertimq; penes animi curas, ac sollicitudines, penes cibum, & potum, & penes res venereas. Et quamuis ante diluuium plus quam nongentis annis vixerint homines, & adeo luxuriosè, vt propter hoc vnum erratum aquis diluuij fuerint obruti, & demersi; nihilominus humanum semen tunc temporis validius erat, & vberiore innato calore perfusum, sed propter parentum errores sensim debilius euasit, & sic eius imbecillitas posteritati paulatim fuit communicata. Ab imbecillis enim patribus

vt plurimum adhuc imbecilliores filij procreantur: & ijs membrorum, ac partium imbecillitatibus insigniti, quibus patres præditi erant. Quinimo vnũ aliud obseruamus in praxi, quod scilicet frequẽtiùs articularis dolor nepotibus, quam filijs communicatur: sicuti etiam, læsa alicuius arboris radice, nõ propinquioribus, sed summis flagellis, siue ramis, citiùs & euidentiùs lęsio & noxa communicatur. Ob id ipsius hominis prauitatem, vti cernimus, semper vitæ breuitas comitatur. Quam veritatem Horatius in 3. lib. suorum Carmin. pulcherrimè his verbis expressit: Damnosa quid non imminuit dies? Ætas parẽtum peior auis, tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem. Quæ quidem sententia ex eo quoque confirmatur, quòd non statim post factam à Deo comminationem, & præscriptũ centum & viginti annorum terminum, hominis vita ad adeo breue spatium fuit redacta; sed potius sensim ac sensim, & longo admodum annorum cursu. Aliquis etiam posset existimare, à primo nostrũ omnium parente, qui omnes plantarum, & animalium vires, ac proprietates exactissimè callebat, eius filios, nepotes, ac pronepotes, in ratione victus, ac præsertim in alimentorum, quæ plurimum natiui caloris, & minimum ignei, continebant, electione & vsu adeo fuisse edoctos, & instructos, vt longiorem vitam adipisci potueriut. Sed quicquid de hac re sit, cum certissimè sciamus homines olim vsq; ad nongentos & sexaginta annos vitã protelasse, & nostris tẽporibus rarissimè octuagesimũ transcẽdere; & subinde si quis velit rationem subducere, ex duodecim partibus humanę vitæ (cæterarum omnium

eminentissimę) reliquis illæsis permanentibus, vndecim partes detractæ, & funditus euersæ fuerunt, idq; ea potissimum de causa, ut humanum corpus, nunc propter peccatum primi parentis in corruptionem descendens, tandem & ipsum, vnà cum sua forma, æternitatem & incorruptionem consequatur; cùm non minus nos, qui vndecima hora ad vineæ culturam accessimus, quam ij, qui prima hora venerunt, etiam penes partem corpoream, æternitatem consequi valeamus: cum apud plerosq; sapientissimos Philosophos somnus ipse sit melior nostri pars, & vita nostra innumeris & maximis repleta sit miserijs, ac calamitatibus, quarum præcipua est assidua mortis meditatio; ac subinde iustorũ mors somnus est placidissimus, sicuti vita hæc nostra mors à Sapientibus dicitur, et reuera est, uel potius uia ad mortem, cum nullam prorsus habeat stabilitatem, et permanentiam, quis iustè poterit et nostri Conditorem, et Naturam arguere? cum præsertim hac vna de causa fuerit ad insignem breuitatem vita hominis perducta, vt tandem et ipsum corpus immortalitatem, et summam perfectionem induat? Quæ si verissima sunt, quid erit dicendum de ea hominis parte, quę ad sui conditoris imaginem, ac similitudinem (id enim ter repetit Diuina Scriptura) creata est? Et si in humano corpore tantum, et tam admirabile inest artificium, vt de eo in libris de vsu partium mentionem faciens Galenus, semper obstupescat, & indicibili admiratione repleatur, etiamsi id ad suam formam relatum, eam conuenientiam, ac proportionem habeat, quam malleus habet ad ipsum artificem; si, inquam, hac parte ter-

rea,

rea, craſſa, paſſibili, ac lutoſa (vt Galeni verbis vtar) tantum artificij, atq; excellentiæ ineſſe conſpicimus, nonne alteram hominis partem, quæ artifici proportione reſpondet, & cœleſtem, & diuinam, & abſtractam, & impaſsibilem eſſe fatebimur? Quinimò niſi ratio, & hominis anima eſſet immortalis, & ſolum hac breuiſſima vita frueretur, iure merito natura iniquitatis eſſet accuſanda, quia cum homo rationis merito innumeris animi curis ac calamitatibus repleatur, & in ſingulis inductione facta mortem ipſam certisſimè futuram præuideat, huius ſolius contemplatione, niſi minus ſapiat, quam bellua, ad cæterorum brutorum differentiam, miſerrimam quoq;, nedum breuem vitam duceret. Sed tandem ex his, quæ de animę eſsentia ex Galeni placitis in hoc libro ſcripta, probataq; ſunt, facillimum eſt colligere, rationalem hominis animam, extrinſecus accedere, è materiæ potentia non educi, ab ipſo corpore non pendere, ac ſubinde ſui natura impaſſibilem & immortalem eſſe. Scimus profecto Galenum nunquam auſum fuiſſe dicere ipſam ſui natura corrumpi, & mortalem, aut corpoream, ſed ſemper id ſe ignorare faſſum fuiſſe. Quod non leue argumentum eſt, ipſam mortalem non exiſtere. Si enim id aliqua ratione demonſtrare potuiſſet, procul dubio maximus hic Philoſophus eam tandem adeo aſsidua in hac re (vt ipſe inquit in fine libri de format. foet. in vter.) meditatione facta, vtiq; excogitaſſet, & inueniſſet. Maximus Ariſtotelis Cōmentator Auerroes ad altiorem naturalis cognitionis gradum eleuatus ipſam rationalem animam incorruptibilem certisſimè cognouit: ſed quia in prin

cipijs

cipijs sui magistri persistere uolens, ad primum ho minem, & illum subinde à Deo Ter. Opt. Max. creatũ naturali lumine nõ potuit peruenire, ĩ duo maxima absurda incidere fuit coactus. Nam ad euitandã infinitatẽ in actu, quæ tamen in substantijs corpore & magnitudine carentibus & in potentia non est absurda & impossibilis protulit hominis intellectũ ipsum non quidem informare, sed ei solum assistere, & quod deterius est, in vniuersa humana natura vnum & indiuisibilem esse. Dixi in rebus & virtutibus magnitudine carentibus, & potestate, infinitum non esse absurdum, quia Arist. negat infinitum actu in rebus corporeis, & materialibus tantummodo, vt apud ipsum videre est 3. physic. tex. 34. & 39. ibi enim ait de hoc infinito pertractare ad physicum attinet, & licet à tex. 35. vsq; ad 39. de omni infinito etiam ad abstracta spectante videatur pertractare, & asserere naturam etiam in abstractis infinitum abhorrere, nihilominus aduersus huiuscemodi infinitum nullam aliam efficacem rationem adduxit, nec desunt rationes, quibus potest sustineri. Sed dato quòd etiam in abstractis infinitum sit impossibile, & absurdum, tamen dicere possumus ex rationalis animæ immortalitate non inferri infinitum actu, sed solum potestate, quod quidem ab Aristot. conceditur in 3. physicorum. quia illi semper fit, & fieri potest noua additio, in qua consistit essentia illius infiniti quod est potentia, vt habemus tex. 57. ex eo quia semper aliud, & aliud fit, & paulo post inquit, quod omnino sic est infinitum, vt semper aliud, atq; aliud accipiatur. Et licet ibi addat, & acceptum quidem semper finitum sit, & subinde,

inde, cum ex Arist. mundus fuerit æternus, infinitus animarum numerus præcessisse videatur, attamen in tex. 63. perfectius infinitum definiens, inquit esse id, cuius secundum quantitatem accipientibus, semper aliquid accipere extra est, & nõ addit illam particulam, & acceptum quidem semper finitum sit. cum igitur semper noua animarum additio fieri possit, nec vnquam, ex Arist. ad finem deuenire, & ad talem numerum & quãtitatem, qua non posit alia maior vsq; in infinitum addi, possumus probabiliter arbitrari hanc fuisse mentem Aristot., & penes argumentum de infinito actu non sibi contradicere. & quamuis in tex. 57. dicat (& acceptum quidem semper finitum sit) possumus tamen respondere, quod quamuis Mundus ex Arist. non habuerit principium, nihilominus animarum numerus hucusq; a parte post finitus est, posteaquam nũc vltima anima datur, & semper per totam eternitatem vltima dabitur; nec vnquam ad talem multitudinem perueniemus, qua maior non possit exhiberi, & noua additio fieri. Cũ igitur numerus præcedens finitus semper sit a parte post, non possus ex philosophi sententia affirmare talem numerum actu finitum esse sed solum potestate. Si quis vero rursus obijciat ipsum in tex. 75. soluendo instantias quibus probauerat dari infinitum actu, dixisse tempus & motum infinita esse, & intellectionem, non permanente accepto, idest præterito, ac subinde non actu sed potestate infinita esse, & ex hoc inferret, quod si permanet acceptum, & animæ iam prępteritæ, dabitur infinitum actu; Huic dico id esse per accidens, quod partes præcedentes remaneant, vel non remaneant,

&

& hoc superabundanter additur ipsi infinito potestate tali. Nam pro eius essentia constituenda, ei sat est, vt semper aliquid in potentia remaneat. Sed ad tollendum infinitum actu, sufficit vt sequentes partes semper remaneant accipiendę & producendæ. Cum enim Arist. de motus eternitate, & hominum generatione meminisset, non possumus imaginari ipsum animarum numerum, & difficultatem non vidisse. Cæterum Auerrhois decreta a D. Thoma firmissimis argumentis euertuntur. Si enim (ait) nō informaret, sed solum assisteret, vti nauta naui, sequeretur, quod homo non intelligeret, ac subinde non esset homo, quia per propriam suam formam debet habere suum esse: sed detracto intellectu, forma, quæ remanet, non est hominis propria, sed brutis communis. Et quia hoc maximum incommodum vidit Auerroes, rursus, vt illud effugeret, in homine Cogitatiuam ab eo vocatam facultatem ab ipsa imaginatiua realiter distinctam excogitauit, vel potius somniauit, ac pueriliter, absq; vlla necessitate, entia multiplicauit: cùm nihil ab imaginatiua in opere planè differat. Quod si intellectus vnus esset in cunctis hominibus, ac veluti intelligentia quædam abstracta, quam humanam Auerroistæ intelligentiam vocant, sequeretur, quod quoties vnus homo aliquid actu intelligit, reliqui etiam omnes illud idem intelligerent. Neque tutum est eorum subterfugium, dum inquiunt, intellectiones à diuersis hominibus varias, ac diuersas contingere eò, quia obiecta intelligibilia, quæ à diuersis facultatibus imaginatricibus, siue phātasijs, intellectui offeruntur, varia sunt. Si enim concedamus, intel-

 lectum

lectum esse abstractum, & in omnibus hominibus vnum & indiuisibilem, impossibile omnino est, vt, dum ab vno obiecto intelligibili mouetur, in omnibus eodem modo non moueatur. Addimus huiusce modi Auerrois sententiam intellectus æternitatem non probare: quia si haberet esse & suam subsistentiam in cunctis hominibus tanquam in sua sphæra, verissimum est, quod in his, quę sunt eiusdē speciei, quicquid secundum naturam competit vni, nō repugnat alteri, sed competit pluribus hominibus, vt vel ratione pestis communiter grassantis, vel belli, vt pereant: ergo non repugnat vt omnes simul pereant; si non repugnat, ergo est possibile vt pereant: Sed possibili posito in esse, nunquam sequitur impossibile. Ita plurimi homines coitu, & propagatione non gaudent. Est igitur per accidens, vt quidam propagatione vtantur, & quidam non: quæ verò per accidens sunt, possunt esse & non esse. Si itaq; aut propter omnium interitum, aut propter abstinentiam à Venere, humana sphæra aboleretur, nonne & ipse intellectus, siue intelligentia humana simul periret? Reliqui verò fere omnes Aristotelis interpretes opinati sunt, ipsum credidisse intellectum ęternum esse, & non vnum, sed multiplicatum, & in vnoquoq; homine peculiarem, atq; distinctum, vno excepto Alexandro Aphrodisæo, qui posuit ipsum corruptibilem: sed videns plurima absurda aduersus hanc sententiam suboriri, & clarissimas Aristotelis auctoritates, in quibus ipsum & immortalem, & abstractum statuit, subterfugere volens, in longè deterius erratum lapsus, asseruit, Agentem Hominis Intellectum Deum esse. Platonē

porro

porro rationalem animam, tum alijs in locis, tum potissimum in Phœdone, in quo huiusce modi contemplationem ex professo pertractauit, diuinam, & immortalem posuisse, adeo clarum est, vt nulla indigeat probatione. Aristoteles sæpius asseruit intellectum immaterialem esse, eo quia ipsius operationes corporales non sunt, neq; organo obeuntur materiali; quod quidem sæpius probauit ne dum in procemio lib. de anima, & in 3. lib. ac potissimum tex. 7. in fine, & tex. 15. verum etiam id apertissime testatus est 2. de gener. animal. cap. 3. in cuius medio, Quorum enim (inquit) principiorum actio corporalis est, hæc sine corpore inesse non posse certum est, vt ambulare, & quę sequuntur. Et paulo post subdit: Restat igitur vt mens sola extrinsecus accedat, eaq; sola Diuina sit: Nihil enim cū eius actione communicat actio corporalis. In quibus illud notandum, quod ipse hæc subiunxit, vt dubitationem solueret, quam paulo supra proposuerat. Et erat an omnes tres animæ, vegetalis videlicet, sentiens, & rationalis è semine gignantur & producantur, vel potius earum pars. Ipsam igitur soluit ex propria sententia, quemadmodum graui Philosopho conueniebat. Cum enim dixisset, quod de mente etiam quo nam tēpore, & quomodo, & vnde eam recipiant, quæ principium id participant, plurimum dubitatur, addit enitēdum esse pro viribus, & quoad fieri potest, & respondens concludit, quod vegetatiua, & sensitiua habent esse in corpore, & à corpore, non autem intellectiua, quia nihil cum eius actione communicat actio corporalis. Vnde nescio quo spiritu ducti Alexandrei dicere ausi sint Aristo-

hoc in loco de intellectu agente, qui ex eorum sententia Deus est, verba facere. Cum enim quærat an omnis anima sit in potentia seminis, & soluens dicat, quod sola mens est ante compositum, & extrinsecus aduenit, quomodo quæso de Deo loqui potest. Ei enim sermo est de animabus, quæ sunt in potentia seminis. Sed nemo esset vnquam adeo stupidus, qui verteret in dubium an Deus esset ante compositum, aut in potentia seminis, cum & simplicissimus sit, & ab omni compositione vndequaque alienus. Sed quid in maximorum Philosophorum, ac Medicorum sententijs referendis immoror, si omnium primus Hippocrates, in libello de Carnibus, animę originem cœlestem esse fatetur, & eius substantiam, quam caloris nomine vocat, immortalem facit. Nam licet quibusdam cõmunibus sententijs & opinionibus prius se vsum fuisse affirmet, coactus nimirũ in arte Medica pertractãda cõmune principium plurimorum sententijs proponere; tamẽ suã sententiã patefaciens, apertè inquit, quod id, quod calidum, caloremue dicimus, quiddam non mortale esse sibi videatur. Sed ad rationem ex dictis desumptam veniamus. Arist. 2. de Anima nos docet, animę facultates non nisi ex functionibus ipsis cognosci posse. Sed superius probatum est & nutrientem, & sentientem, & appetentem, & mouentem animæ functionem posse in natiuum viuentium calorem, tanquam in principium, ac principale agẽs, referri, absq; vlla prorsus superioris facultatis necessitate. Innatus enim calor, vt ostensum est, potest per seipsum absque alio opifice æquè benè has omnes operationes obire. Sed altera ex parte impossibi

le

le omnino est, innatum calorem absq; alia superiore & eminentiore virtute, aut diuidere, aut componere, aut inducere, aut ratiocinari, ac syllogizare, aut consequentiam, aut repugnantiam in rebus cernere, aut prouidentia vti, aut artes ac disciplinas cõstruere, aut alia huiusce classis munia sexcenta perficere. Quocirca necessarium omnino est, in harum functionum causa indaganda, natiuo calore posthabito, ad altiorem vim confugere, eiq; manum dare, illiusq; virtutis, & animæ facultatis auxilium implorare, quę actionibus his edendis sit idonea, ac subinde sit elementorum qualitate, ac omni facultate maior, propter diuiniores ipsius functiones, quarum virtute & omnia cognoscere, & omnia fieri, in homine ipso luce clariùs conspicimus. Non possumus autem hanc animæ virtutem sublimiorem subterfugere, credendo naturalem calorem à cœlesti lumine & calore adiutum posse tales, ac tantas operationes expromere, sicuti ab eo auxilium nactus fœtum & animal ipsum fingere & efformare potuit. Nam calor & vis illa cœlestis, quæcunq; illa sit, quæ in fœtuum efformatione innato calori suppetias tulit, post formatum fœtum, & post animam in eum infusam, ac genitam, in fœtu iam concepto atq; perfecto non manet, vt Galenus in fine libri de format. fœtus nos docet, sed recedit. Si enim maneret, inquit ipse, & illa met vis, quæ corpus nostrũ format, illud idem deinceps gubernaret, ac dispensaret, vtiq; omnium partium numerum, ac vsum optimè cognosceret. Nihilominus claræ percipimus, quòd, quæ nos regit anima, appetionibus ipsius inseruientes partes videtur ignorare. Vix enim

(inquit

(inquit Galenus) ex dissectione à peritis propria vniuscuiusq; musculi inueniri scientia potuit: antequam vero disectione exploremus, neq; partes corporis, neq; ipsarum functiones cognoscimus. Neq; possumus euadere dicēdo, huiusmodi formatricem vim à nimia corporis humiditate obtundi, & stolidam reddi, ac subinde non, nisi corpore siccescente, corporis particulas, & earum vtilitatem posse percipere: quia nihil humidius nostræ generationis principiis corporeis esse potest; & nihilominus vis illa cœlestis atq; sublimis in illis insita in nostri corporis, ac omnium animalium fabrica, vt Gal. inquit loco citato, summam & Sapientiam, & Potentiam præ se fert. Insuper innatus calor, ad proprias edendas functiones, corporeo indiget organo; rationalis autem animæ vis, ad proprias edendas operationes, organo non eget corporeo; et subinde cum non sit organica, nec egeat corpore, sui natura abstracta, corporis expers, & immaterialis existit, corruptioniq; non est obnoxia. At uerò ipsam à quacunq; corporea facultate liberam & immunem esse, hac ratione Galenus 7. de Placit. Hipp. et Platonis probauit: Si de animę essentia (inquit) definitum quid dici oportet, de duobus alterum fateri necesse est, aut velut splendidum quoddam, et æthereum corpus ipsam esse, quò uel inuiti cum Stoici, tum Aristoteles quadam consequentia ducuntur: aut esse ipsam quandam corporis expertem substantiam; primum tamen ipsius vehiculum esse hoc ipsum corpus æthereum videlicet, cuius interiectu cū cæteris commercium habeat corporibus. Sed paulo ante huiuscemodi ambiguitatem dirimens, ita

scriptum

scriptum reliquerat: Ex his igitur (inquiens) quæ apparent, cogitauerit aliquis ventriculorum cerebri spiritum; duorum alterum, siquidem corpore caret anima, primum esse ipsum eius, vt sic dicam, domicilium: si uerò habet, illum ipsum spiritum animam esse. Hæc ille. Sed rem totam certiùs exprimens hæc formalia verba subiungit: Sed cum ventriculis illis confractis, paulo post rursum sentiat; rursusq; moueatur animal, dici non potest illam esse spiritum. Satius est igitur arbitrari in ipso quidem cerebri corpore animam habitare, quali tandem cunq; sit substantia. non enim id iam quæritur, primum verò ipsius instrumentum ad omnes animantis tum sensus, tum voluntarios motus illũ esse spiritum. Proindeq; eo dissipato, dum nouus intrò collectus sit, non quidem vita, sed sensu tantum ac motu priuari animal. Quod si ille fuisset ipsa animæ substantia, eo, profecto, dissipato, animal statim ipsum simul interijsset. Deinde ait: Itaq; arteriarum spiritus vitalis & est, & appellatur; animalis autem in cerebro consistit, non tanquam animæ substantia, sed quasi organum primarium ipsius in cerebro habitantis, qualiscunq; ea sit substantiæ. Et paulo post inquit: Quod autem animalis spiritus neq; substantia sit animę, neq; eius domicilium, sed duntaxat instrumentum primarium, inde didicimus, quod ipso per vulnera euacuato, statim veluti mortuum redditur animal; recollecto autem, reuiuiscit. Ex quibus clarè constat, ipsum hac ratione impulsum voluisse animam nostram prestantiorem, simpliciorem q; esse, eamq; peculiarem, ac simplicem & incorpoream, habere substantiam.

tiam. Si enim anima ætherea & spirituosa animali substantia præstantior est, & spiritus hic corporum est præstantissimus, tenuissimus, atq; purissimus, necesse est eam corporis expertem esse. Neq; possumus nunc asserere ipsam incorpoream quidem esse, sed nil aliud præter innatum calorem, qui & ipse incorporeus existit. Nam præter id, quod superius ostensum est, & omnibus patere potest, quòd huiuscemodi calor & simplex qualitas, non potest rationalis animæ munijs fungi, sed altior vis de necessitate requiritur, eadem ratione, qua Galenus vtitur ad probandum animam non posse esse spiritū, quia eo in cerebri permeantibus vulneribus inanito, aut cerebri compressionibus obruto, vt in Apoplexia presertim fieri cernimus, sensu & motu animal destituitur; sed eo restaurato, denuò reuiuiscit; hac eadem ratione possumus probare, animā innatum calorem per huiuscemodi æthereum, animalemq; spiritum diffusum, & in eo subsistentem, esse non posse: quia calor accidens cum sit, ad hoc vt conseruetur in esse, hoc eodem spiritu, ceu subiecto indiget, & spiritu inanito, aut obruto, vel quoquo pacto corrupto, vnà calorem in eo disseminatum perire, & euanescere necesse est. Habemus insuper aliam Galeni auctoritatem in fragmento de substantia naturalium facultatum superius quoq; ad verbum exaratam, in qua inquit, quod animam nostram alii putarunt esse corporis expertē, alii spiritum esse; alii ne esse quidem illius propriam vllā substantiam, sed corporis substantię proprietatem dici, quæ earum rerum, ad quas faciendas apta & nata est, vires habeat. Et statim post subdit: Ego

verò

verò inter hos medium quendam ordinem ſequor. Quis autem ſit hic medius ordo, quem ſequitur, coniicere facile poſſumus ex eius verbis, quæ paulo infra profert, inquiens, illud ſibi perſpicuum videri, quòd licet foris in hęc corpora commigret, ea tamen eorum obnoxia ſit naturis, quæ, vti dixerat, ſunt ex quadam elementorum temperatione conflatæ. Vnde medium huncordinem vocat, eò quia videlicet anima neq; ſola ſit proprietas ſubſtantię corporis ex elementorum orta qualitatibus, neq; ſimpliciter ſubſtantia ſit incorporea, quæ per ſe conſiſtens nullo corporis egeat adminiculo. Et ob id licet incorporea ſit, attamen corporis commodis inſeruit, nec poteſt citra bonam eius temperiem integras actiones expromere. Quamdiu enim (inquit toties Galenus) corporis eſt conſtricta vinculis, illius ornatu & bona conſtitutione opus habet. Et idem ſcribebat, animam, vt in corpora commigrauerit, ipſam eorum naturis inſeruire, quæ ſunt ex certa elementorum temperatione ortę. Neq;, quod ad artem Medicam pertinet, quicquam ſibi officere putat, quòd ignorat, quemadmodum immittantur, aut ab alijs in alia corpora concedant animi. Oportet enim profectò idoneum eſſe id corpus, quod animam recepturum eſt, & ſi ſui temperamenti magnam ipſum mutationem ſubeat, ex eo ſtatim animam ipſam emigrare. Ex quibus Galeni verbis duo planè clara colligere vnuſquiſq; poteſt; primùm, quòd anima, quam ſimplicem, & corporis expertē dixerat, corporis legibus & natura tenetur; alterū quod animæ propria ſit ſubſtantia, quę per ſe ſine corpore conſiſtat. Nam illa verba (in corpora com

migrare, aut protinus emigrare) nil aliud significare possunt. Quod si est, illam apertè Galenus pronunciat esse immortalem & indissolubilem, etiamsi in huiuscemodi consequentiam incidere non audeat, cum in eodem loco id se prorsus ignorare fateatur. Ex his pariter colligimus falso argumentari quosdam aduersus animę nostræ immortalitatē. & incorporeitatem, dum inquiunt, ipsam neq; epotum venenum, neq; malos affectus corporis sustinere; sed propter hęc è corpore emigrare coactam esse, & subinde ab affectibus corporeis aliquid pati, & ex consequenti quandam cum corpore communionem habere, ac corpoream, & corruptibilem esse. Hæc enim consequentia nulla prorsus est. Nihil enim quicquam patitur anima: sed illa tantummodo, quorum merito anima corpori consociatur, & hœret, afficiuntur: sunt autem innatus calor ac insitus spiritus, in quo ille subsistit, quæ quum extremo corporis vitio dissoluuntur, anima libera & expedita necessariò de corpore decedit, quia in eo nullum amplius proprium & consuetum munus potest obire. Et si quis rursus obijciat, nos superius dixisse, quod læso & morbosè præsertim intemperato cerebro, aut angustia obsesso, vt in apoplexia, vel consimili contingit affectu, mens & animæ vis, & animæ actio perturbatur, deprauatur, & impeditur: Sicuti cerebro bene habente, hæ omnes animales functiones inculpatè eduntur; & ex hoc colligat, animam corpori inseruire, eoq; apto & idoneo indigere: Huic primum respondemus, admittendo, ipsam animam, donec vnà cum corpore connectitur, siue consociatur, eo vti; sed tamen non vt instrumento,
sed

ſed potius (vt Galenico loquendi modo vtar) tanquam domicilio. Sicuti enim pictor alioquin incolumis, & in arte pingendi peritisſimus, & penicillo & aliis organis inſtructisſimus, ad hoc, vt probas efficiat picturas, loco, ſiue domicilio indiget luminoſo, & ab obſcuro, & tenebroſo ab opere prorſus impeditur: Sic anima, dum in noſtro immergitur corpore, illo non tanquam inſtrumento, ſed tanquam domicilio rectè conſtituto, ad ratiocinandum & intelligendum, opus habet. Quo ſi ſit deſtituta, vel nihil aget, vel vitiosè aget, vel forſitan ab eo emigrare cogetur, prout corpus vario modo, & minus vel magis præter naturam afficitur. Galenus enim 2. de loc. affec. cap. 9. de hac controuerſia loquens, Si hæc animę pars, inquit, ita eſſet in continente ipſam corpore, vt nos in domo aliqua: in primis fortaſſe: nullã ei noxam afferri putaremus à loco: quoniã verò ipsã lædi videmus, quomodo lædatur, eſt inueſtigandum. Si uerò veluti forma quædam corporis eſt ab ipſo inſeparabilis, eam lędi non inficiabimur ob ſuſcipientis ipſam corporis alterationem. At quia de hac re inter Philoſophos ingens pugna eſt, aliis eam veluti in domicilio contineri dicentibus; aliis uero ipſam corporis formam eſſe putantibus: idcirco, quomodo lædatur, inuentu perdifficile eſt. Quod verò lædatur, ab experientia diſcere licet. Nam fracto oſſe capitis, & compreſſo cerebro, protinus ſenſum omnem amittit ægrotans. Ex quibus verbis colligimus, quòd licet Galenus ſub dubio reliquerit, an anima ſit in cerebro, tanquam agens in domicilio, vel tanquam forma in materia; attamen ſi ſit tanquam in domicilio, nulla ei noxa

essentialis à loco potest aduenire; sed solum impeditur. Secundò possumus obiectionem retorquere, & experientiam ipsam in medium adducere. Videmus enim quàm sępissimè, dum potissimum artem Medicam exercemus, ad organorum omnium, imò totius corporis labefactionem, & omnimodam ferè destructionem, rationalem vim incolumem permanere, & in propria functione nihil omnino lædi. Nedum enim ratione alicuius insignis & lethalis affectus, verum etiam ratione marcoris, corpus vniuersum, ac omnia principalia membra, pręsertimq; cerebrum omnino languent, & calor innatus, insitusq; spiritus pene omnis extinctus est, & facies apparet Hippocratica, & licet ęgrotantes ad extremam vitæ lineam sint redacti, tamen rationalis animę functiones sæpissimè inculpatas, imo nonnunquam, quam antea, meliores exercent. & insuper Arist. primo de anima tex. 12. inquit maxime simile proprio operi ipsius animæ esse intelligere, & hoc maximo iure, quia versatur circa vniuersalia a materia seiuncta suo proprio munere: & mens a uehementi intelligibili nullatenus offenditur, quia corporeo non utitur organo; & intellectio sine corporis & spirituum permutatione fit, quinimo dum attentius speculamur, sensuum affectiones non percipimus. Alij verò ex proœmio primi de Anima ab Aristot. dicto excitati (dũ ait, si aĩa nõ habet opus propriam non contingit separari) sic arguunt: Corpus est animæ organum, quo, ad edendas proprias functiones, indiget: Si sic, ergo non habet opus proprium: Ergo solitaria & à corpore seiuncta nil potest efficere: Sed absurdum est, animam inertẽ

& otiosam

& otiosam esse: Ergo non poterit separata ac solitaria consistere. Quod si à corpore seiungi nequeat, & non possit per se subsistere; ergo vnà cum corpore peribit: Ergo neque incorporea erit, neque diuina, sed corporis,& elementorum particeps. Quibus vnà cum D.Thoma,& alijs possumus facilè respondere, auimam non esse ita corpori obligatam, vt assidua illius ope indigeat. Hoc enim non affirmauit Philosophus in illis verbis. Neque nobis licet ex illis elicere humanam mentem ex Arist. opinione mortalem esse, eo quia scilicet sine phantasia nõ intelligit; Nam ipsemet Aristot. text. xx. tertij libri de anima dicit aperte esse æternam & immortalem, & nil intelligere sine phantasia, & subinde id est intelligendum dum est vnà cum corpore coniuncta, vt recte latini interpretantur. Qui aiunt Menti ex sui conditione competere opus proprium, ex accidenti tamen, vt corpore iuncta phantasia indiget. Nam quemadmodum Deus Optimus in vniuerso, natura mediante, siue secundis causis, plures operationes exequitur, etiam si eius substantia naturę, & vniuerso, non sit obligata,& adstricta, imò longè præstantiores habeat actiones absq; vllo naturæ,secundarumq; causarum adminiculo: Et sicuti Galenus 17. de Vsu part.cap.1. apertissimè fatetur, cœlestium quoque corporum intelligentias, præter motum, quem illis exhibent, in hæc inferiora plures alias & præstantissimas actiones exercere: Ita humana Mens ad Dei similitudinem effecta, createque corpori, quod regit, non ita adstricta, aut subiecta est, vt sine ipsius ope eminentiores non possit edere functiones: quia, vt ratiocinetur,

corporis

corporis non eget adiumento, quo vt instrumento vtatur, sed per se solam ratiocinatur & intelligit. Hoc enim non concesso, longè rationabilius posset natura reprehendi, quòd homini inexplebilem appetitum indidisset. Neq; verò de naturali vel sensitiuo, qui propter diuinæ legis preuaricationem corruptus est, loquor; sed de voluntario, qui ab intellectu sola ratione, non re & subiecto distinguitur. Homo siquidem naturali quodam instinctu omnia scire & coguoscere, omnia possidere desiderat, & vno verbo, omnium bonorum voluntatem & appetitum habet insatiabilem & immensum: qui cum in hac breuissima vita ad suum actum deduci & satiari nõ queat, aut frustratorius & otiosus erit, aut solum, vbi mens ab hoc corpore fuerit seiuncta, perficietur, ad suumq; perfectum actum perducetur, &, vt Diuinis verbis vtar, tunc solum satiabitur, cum ei gloria sui conditoris apparuerit. Ad hæc sicuti rationalis anima a corpore secreta ex sentẽtia D. Thomæ intelligit per species infusas à Deo; ita etiam sine corpore potest intelligere, & hoc eò magis, quò illa cognitio, quæ in corpore fit, breuissimo tempore perdurat: & insuper lõge plures sunt homines ab intellectione & speculatione alieni, rudes, & ignari, in quibus frustra anima rationalis esset vnita, quia iu illis suum finem non assequitur. Concludamus igitur, ac pro huius operis complemento dicamus, quod si humana ratio à principio nostri corporis partes, ac earum vsum non agnoscit, si est veluti tabula rasa, vt ait Plato, in qua nil scriptum est, si nonnunquam, propter cerebri morbos, in functionibus lædi, impediri, ac titubare videtur,

detur, id contingit, quia licet corporea & organica non sit, eget tamen, quamdiu corpori iuncta est, in suis edendis functionibus, aliqua facultate organica, quę existens in corpore ei phantasmata, ex quibus species intelligibiles oriuntur, subministret. Et in homine solum naturalis calor est ipsius instrumētum, cui optimè disposito, tanquam vegetali & sentienti animæ, ac veluti tetragono, rationalis anima tanquam pentagonus superueniens hominem perficit, & informat, & quascunq; ipsius proprias operationes molitur. Quarum illa (quam etiam reliquarum omnium præcipuam, & præstantissimam statuo) cuius merito ab indiuiduantibus conditionibus ipsum vniuersale (circa quod ipsamet veritas, quę æternorum est ex Aristotele primo poster. versatur) abstrahit, ac sensim vsque ad primum & vnum rerum omnium principium certissimè dignoscendum se erigit, eius de necessitate (dicant vel credant alij quicquid velint) diuinitatem & immortalitatem nobis demonstrat: Et subinde ipsius vniuersi maximum ornatum, perfectionem, nexum, & colligantiam, quam semper natura in omnibus mirum in modum affectat, atque pro viribus molitur, nobis patefacit. Si enim ab homine etiam penes animam æternitatem detrahas, nulla prorsus horum sublunarium, ac corruptibilium cum cœlestibus, ac ęternis illis corporibus, atq; motoribus colligantia superest: quoniam licet elementa secundum se tota incorrupta seruari possint; tamen sui natura omnes partes, ac subinde ipsum totum habent corruptioni obnoxium. Sed homo corpore passibili, mente verò sui natura incorruptibili præditus, optimo iure

&

& Microcosmos, seu Paruus Mundus à Galeno, maximisq; Philosophis nuncupatur, & mundi superioris & inferioris, cœlestis & elementaris, nexum & ornamentum vndequaque perficit. Hominis enim solius natura inter belluas, & sempiternas mentes constituta est media: quippe quæ forma sit non ita penitus abstracta, vt corpori inseri non queat; neque corpori sic demersa, vt aliquando emergi non posit; ac proinde cum vtrisque extremis, nempe cum formis tam caducis & materialibus, quam abstractis, & immortalibus media mutuaque societate conspiret: Quæ quidem communio cum nulli conueniat enti, præterquam homini, & rerum natura ab vno extremo non feratur ad aliud, nisi dato certo medio, profecto concludendnm firmisimè est hominem ratione corporis interitui esse obnoxium; merito verò intellectus immortalitatis esse participem. Quare rationalis anima medium quoddam inter abstractas materialesque formas optimo iure statui potest: &, vt in hoc recte censuit Auerrhoes, æternorum & corruptibilium est vincnlum, & ob id vtriusque extremi proprietates participare debet. Si quis autem obijciat incorruptibile secundum naturam corporis sui natura corruptibilis actum esse non posse, Huic D. Thomas in prima parte quæst. 76. art. 3. nititur respondere: Veruntamen, quia, siue illud corpus per se, siue per accidens sit corruptibile, semper verum erit animam rationalem sui natura ęternam mortalis corporis actum esse, ac subinde cum perpetuo tempore informandi vim habeat, illa non poterit per modicum illud tempus, quo informat,

proprium

proprium munus explere; Forsitan melius est arbitrari naturale lumen non posse realem responsionem excogitare: & fateri, sicuti superius quoque ostensum a nobis est, Deum Optimum ante primi patentis lapsum, media ei tradidisse, quorum merito etiam penes corpus poterat immortalis euadere. Quocirca mirandum non est veteres Philosophos non potuisse hominis naturam intelligere, quia finem, ob quem Deus illum condiderat, ignorabant. Cum enim hominis finis esset supra naturam, nimirum perpetua sui conditoris fruitio, ab illis prorsus ignorata, ipsa quoque media, per quæ ad talem finem perueniret, explorare non potuerunt. Cum igitur homo penes partem corpoream corruptibilis esset, ac subinde ad tantum ac talem finem deuenire non valeret, summus Opifex ei contulit media, nimirum Gratiæ donum (cuius longe maior est vis quàm naturæ) vt eiùs merito etiam penes corpus à corruptione immunis fieret; quod natura sine corruptione esse non poterat. Quamuis igitur si corpus ipsum spectemus, vnio videatur inconueniens: attamen si conditoris nostri spectetur intentio, conuenientissima censeri debet. Is enim statuerat omnibus creaturis se ipsum communicare, illis omnibus æternitatem exhibendo. Sed quia omnes non erant illius capaces, voluit merito gratiæ hominis corpori æternitatem tribuere, quia in eius corpore reliquæ omnes creaturæ, omnesq; gradus entium, nimirum elementare, mixtionis, vegetatiuum, sensitiuum, & intellectiuum continentur. Quinimò, si cœlestia corpora, eorumque motus in ipsum hominem tan-

quam in finem diriguntur, vt testatur Aristoteles, & finis nobilior esse debet ijs omnibus, quę in ipsum ordinata sunt; si cœli sunt incorruptibiles, multo magis homo debet esse liber ab interitu. Hæc sunt, Clarissime Octaui, quæ tum nostri, tum aliorum ingenij excitandi, & exercendi causa de animæ essentia, ex Galeni mente, exarare volui, ea potissimum intentione ductus, & impulsus, vt Galenum ab ignorantium maledictis vindicarem, & vt posthac omnes, qui hos nostros labores legent, ipsum ceu Diuinum quendam Philosophum extollant, suspiciant, ac venerentur.

LAVS DEO,

T. O. M.



Suprascriptum Librum, cui titulus est de Anima, Perillustris, ac Excellentiss. D. Eustachij Rudij Vtinensis, qui incipit Quāto semper apud oēs, *& in fine dicitur,* suspiciant, ac venerentur, *legi, & perlegi nihilq. in eo contra fidem, bonos mores, ac Principes contineri attestor*

Ego Fr. Octauianus de Rauenna publicus Metaphysicæ professor. quare impressione dignissimum, ac vtilissimum iudico.

Qua stante attestatione, ego Fr. Zaccarias quod imprimatur concedo.

Fr. Zaccarias Inquisitor Paduæ manu propria.

Imprimatur. *Octauius Liuellus pro Serenis. Republica Veneta.*

Imprimatur. Franciscus Picciolus Canc. Præt.

PATAVII

Ex Typographia Laurentij Pasquati,

Impress. Camer. 1611.

